This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ll
18
35

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

L2/8,35

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

Programm,

womit

zu der öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

Friedrichs-Werderschen Gymnasiums,

welche

Mittwoch, den 8. April 1840

Vormittags von 8, Nachmittags von 2½ Uhr an

in

dem Hörsaale der Anstalt

Kur-Strasse Nr. 52.

Statt finden wird,

die Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und des Gymnasiums

ergebenst einladet

Carl Eduard Bonnell,

Director und Professor.

Inhalt:

C. Lucilii Satirarum quae de libro nono supersunt disposita et illustrata
vom Oberlehrer Schmidt.

Schulnachrichten vom Director Bonnell.

Berlin, 1840.

Gedruckt in der Nauckschen Buchdruckerei.

L 8/18.35

Constantius fund

C. LUCILII SATIRARUM

QUAE DE LIBRO NONO SUPERSUNT, DISPOSITA ET ILLUSTRATA.

Orthographia [1].

I.

Terent. Scaurus de Orthogr. p. 2255. ed. Putsch. Dous. IX. 1. (C. Lucili Satyr. Reliquiae. Franc. Jani F. Dousa coll. cet. LB. 1597. repet. ab Haverc. in editione Censor. De Die Nat. LB. 1743).

---

1) Inscriptiones fuisse Satiris Lucilianis, sententia est Lerschii (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1837. N. 128.), quum firmat et loco Arnobii adv. Gent. II. 6 „Fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis," ubi Orellius „Fornix, inquit, videtur fuisse titulus incerti Satirarum Lucilianarum libri": et verbis Porphyr. in Horat. Carm. I. 22. 10. „Dum meam canto Lalagen, id est, carmen in Lalagen amicam, ejus nomine compositum. Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur eo, quod de Collyra amica sua scriptus sit." Praeterea, ut eidem V. D. videtur, alius liber *Scipio*, alius *Orthographia* inscriptus fuit. Nec temere hoc ab eo judicatum esse, testes sunt grammatici: Ter. Scaur. p. 2255 „Lucilius in IX Satyrarum, de *Orthographia* praecipiens"; et, annotante Dousa p. 322. ed. Hav., Isidorus: „*Orthographiam*, id est scripturam rectam contra imperitiam librariorum Lucilius Poëta primum scripsit;" item Vel. Longus, licet non ipso nomine Orthographiae sit usus, p. 2214; „apud Lucilium in IX, in quo *de literis* disputat." Lucilius quidem non solum de scriptura literarum, verum etiam de verborum usu et significatione praecepta dedit; sed quum a literis exorsus esset, ab hac parte argumenti ipsi Satirae titulum videtur indidisse. — Eandem rem tangit *van Heusde* in *Disquisitione de Aelio Stilone* p. 38. 1 (Traj. ad Rhen. 1839): qui praeter librum XVI, primum quoque habuisse titulum, *Concilium Deorum*, citatis Lactant. Div. Inst. IV. 3. Serv. ad Aen. X. 104. Jul. Sab. ad l. l. v. 18, comprobat. Ibidem quae V. Cl., adductus verbis Auctoris ad Her. IV. 12. „Quo in vitio (inconcinnae trajectionis) est Lucilius assiduus, ut hoc est in *priore* libro:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus Aeli,"

de divisione operis Luciliani priore et posteriore disputat, ea ita non improbo, ut tamen duas tantummodo inscriptiones a Lucilio factas esse negaverim (cf. ad Fr. XIV), neque igitur crediderim ex titulorum numero recte posse ea de re conjici. Hoc quidem assentior Viro Ill., primo bipartitum fuisse Lucilii opus et grammaticos demum numero distinxisse triginta libros: at metris potius quam inscriptionibus id mihi videtur significari. Nec quinos denos libros in utroque volumine fuisse arbitror, sed in priore eos, qui hexametris, in altero eos, qui jambicis et trochaicis numeris conscripti sunt. Liber trigesimus, qui hexametros continet, utrum temporis an argumenti ratione habita, hunc numerum acceperit, dijudicare nonausim. Grammaticum autem, a quo facta sit posterior designatio Satirarum Lucilianarum, suspicor, eandem illum Valerium Catonem esse, quem notat Horatius ante Sat. I. 10, de quo Heindorf. haec exponit: „Dieser Cato verfuhr mit Lucilius Gedichten, indem er sie überarbeitete (διεσκεύασε), ganz wie Zenodotus und Aristarch mit den Ho-

„Primum igitur per Adjectionem illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi longas syllabas voluit, cum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis nota posset ostendi: nam singulares vocales et produci et corripi possunt. Unde etiam Lucilius in IX Satyrarum, de Orthographia praecipiens ait:

A primum est, hinc incipiam, et quae nomina ab hoc sunt.

Deinde:

A primum, longa et brevi' syllaba; nos tamen unum
Hoc faciemus, et uno eodem, ut dicimu', pacto
Scribemus pacem, placide, Janum, aridum, acetum:
Ἄρες Ἄρες, Graeci ut faciunt."

Putsch. edidit *longa brevis*, numeris quidem integris, (cf. Fr. XIII. v. 11.), structura vero, quum omissa sit conjunctio, prorsus impedita. Hinc VV. DD. locum emendarunt, insertis particulis, vel *et*, quae Dousae placuit et D. Heinsio (in Append. Horat.) aliisque, vel *aut*, quae Fr. Rittero, Elem. Gram. lat. II. p. 109. (Berol. 1830). Utrique emendationi est, quo se commendet. Nam Lucilii sententia aut haec fuit: *a* alterutrum est, aut longum aut breve — aut haec: *a* utrumque est, et longum et breve: alteri sententiae *aut* conjunctio, alteri *et* convenientior erit. Si poëta priorem pronuntiavit, praeceptum ejus optime congruit latinis exemplis *pacem placide* sqq., non item graeco illi *Ἄρες Ἄρες*: ac nescio an haec causa fuerit Rittero l. l., cur postrema omitteret: sin alteram, neque latina omnino repugnant et graecum commodissimum est. Jam vero ut verba „nos *tamen*" sqq. recte intelligantur, tenendum est, id quod Scaurus interposita particula *deinde* satis indicavit, omissa esse nonnulla inter primum et sequentes versus. Nec dubito, quin Lucilius in his, quae desunt, exempla quaedam commemoraverit scripturae illius a se improbatae, qua longae vocales geminarentur. Hanc enim ipsam notat eidemque suam opponit scribendi rationem, quum ait, se *tamen* unum hoc facturum, id est, uno *a* scripturum et longam et brevem syllabam. Ceterum me quidem non habebit repugnantem, si quis, ut ad lectionem a Putschio servatam quam proxime accedatur, Lucilii versum ita restituendum existimaverit:

„A primum longa, *ab* brevi' syllaba: nos" cet.

probabile est enim, *a* et *ab* praepositiones significari his verbis: „et quae nomina ab hoc

merischen Gesängen. — Wahrscheinlich veranstaltete er damals eine neue Ausgabe jener Satiren, ebenso bearbeitet wie die Fabellese von Ramler" etc. Adde Sueton. Ill. Gram. c. 2 „quas (sc. Satiras Lucilii) legisse apud Archelaum Pomponius Lenaeus, apud Philocomum *Valerius Cato*, praedicantur:" et c. 11 „*Cato* Grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit ac facit poëtas." cf. Lersch. de Valerio Catone (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1839. N. 43.), qui apte memini id quod Sueton. l. l. c. 2 refert: „Cajus Octavius Lampadio Naevii bellum Punicum, quod unico volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros."

sunt; ab autem obliteratam esse similitudine literarum in verbis long*a* *b*revis cum ipsa utrinque concurrentium. Etiam Scaliger videtur in sua editione verba *long. br.* asyndeta repperisse et maluisse novam effingere vocem, quam contra librorum auctoritatem conjunctionem interponere: nam, ut Dousa tradit, ille scripsit *longibrevis*. — V. 3. verba *ut dicimus* ad ea refero, quibus inserta sunt, hoc sensu: ut pronuntiamus vocabula *pacem*, *placide* cet., ita eadem scribemus, id est, una *a* vocali. Cur Dousa praetulerit *diximus*, non patet: ipsi quidem hoc non poterat causae esse, quod scriptor praemissa quaedam exempla respiceret, nam in Dousana collectione omnes hi versus continua serie collocati reperiuntur. *Uno eodem* Dousa pro iis, quae Putsch. habet, *uno eodemque*, recepit, usu Lucilii probe observato: quanquam in notis, ut elegantiam horum vocabulorum comprobaret, aliena exempla admiscuit. Duobus illis, quae apte attulit, tertium addo ex Nonio s. v. Propitios p. 465. ed. Merc. (rep. Lips. 1826), ap. Dous. XXVII. 1. »eadem una maneant in sententia« cf. Gifan. Collect. in Lucret. LB. 1595. p. 334. Numeri bene se habent, *eodem* enim, ut saepius, trisyllabum est, et vocis *uno* posterior syllaba servatur licentia eadem, quae est in versu Lucilii ap. Non. s. v. Servare. p. 387. Dous. XXX. 50. cf. Schneid. Gr. lat. I. p. 141.

Quid servas, quŏ eam, quid agam? quid id attinet ad te?

et ap. eund. s. v. Excantare. p. 102. Dous. II. 6.

Quae nunc Aemilio praecanto atque exigŏ atque
Excantó

et ap. Gell. XX. 8. Dous. inc. 31.

Luna alit ostreá et implet echinos, muribu' fibras
Et pecŭ [2]) addit.

---

2) Teste Lione, in nott. ad Gell. h. l., Cod. Guelf. et Edd. vett. habent *pecu*, un. Gryph. in marg. *pecui*. Dousa, item ductus vett. libror. auctoritate, verum censuit *pecu*: ut vero hiatum vitaret, conjecit *atque pecu*. Sed metri gratia nihil opus est conjectura: et dativi haec forma Lucilio vindicatur alio loco Gellii IV. 16 „sicut Lucilius in eodem casu *victu* et *anu* dicit, non *victui* nec *anui* in hisce versibus:

Quod sumptum atque epulas victu praeponis honesto;

et in alio loco *Anu noceo* inquit.“ cf. Dous. IV. 2. et inc. 135. Nonius p. 501, ubi eundem versum Lucilii affert, a Dousa non est laudatus.
Adde Fest. s. v. Remeligines. Dous. inc. 69.

Quaénam vox ex té resonans meó gradu remorám facit?

et Non. v. Pretium p. 365., v. Honor. p. 319. Dous. XXX. 6.

Cui vultu ac facie, ludo ac sermonibu' nostris,
Virginis hoc pretium atque hunc reddamus honorem.

Facie pro *faciei*, ut hic, Lucilius bis habet ap. Gell. IX. 14. „In casu autem dandi, qui purissime locuti sunt, non *faciei*, uti nunc dicitur, sed *facie* dixerunt. Lucilius in Satiris: *Primum*,

Ad quae exempla addo versum Lucilii ap. Fest. s. v. Tapulla; Dous. inc. 46: quem VV. DD. hoc modo emendarunt:

Tapullam rident legem congerrae Opimi 3).

---

inquit, *facie quod honestatis accedit* (Libri valde variant; Scalig. dedit: „quod honestas Accedit;" Gronov. non male conj. „primum facie quod honestae Laus accedit"). Idem Lucilius in libro septimo (Dous. VII. 3.)

Qui te diligat, aetati facieque tuae se
Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur."

Ita *re* idem Lucilius pro *rei*, dativo, ap. Non. Abl. pro gen. p. 500.

Id solum adversae fortunae reque resistit;

nisi forte, quae fuit Nonii sententia, significata verbis „Abl. pro gen." *re* potius genitivi forma habenda est; cujus exemplum Schneid. II. p. 357 in Lucilianis invenit ap. Non. v. Porrigo. p. 160. Dous. XXX. 78.

Tristem et corruptum, scabie et porrigini' plenum.

Denique hunc referrem versum Lucilii ap. Non. s. v. Praestare p. 371. D. XXVII. 30.

Si facies praestat facie, si corpore corpus:

nisi in praestandi verbo comparativa notio inesset, unde liceret hos ablativos tueri, quemadmodum ap. Non. ibid. in Varronis exemplo, in Quinquatr. „An hoc praestat Herophilus Diogene?" et Colum. de R. R. XI. 1. 16 ed. Schn. „quid novus operarius ignavo et cessatore praestet." Certe vocabulum *corpore*, quod in Lucilii verbis pari nexu subsequitur, tantum abest, ut vetet formam *specie* pro dativo haberi, ut ipsum etiam antiquam hujus casus formam in tertia declinatione repraesentare contenderim. Nam ut mittam illud Plautinum in Epigr. ap. Gell. I. 24 „morte datust" aliaque, de quibus consulendus est Schn. II. p. 200 sqq.; satis est commemorasse versus Lucilii ap. Non. s. v. Exsculpere p. 102. D. inc. 49.

Esuriente leoni ex ore exsculpere praedam

et ap. Serv. ad Aen. X. 329. D. IV. 17.

Hi prae se portant ingentes munere pisces
Triginta numero.

An hic liberior est ablativi usus, qualem quidem Schneid. l. l. p. 201 in aliis locis esse suspicatur: quibus comparo Plin. H. N. 37. 19 „missum smaragdum *munere?*" An utrique loco emendatione opus est, commendata exemplo Virgilii Aen. V. 536 „in magno munere Cisseus Ferre sui dederat monimentum:" inde ut apud Lucilium legatur: *ingenti in munere;* et ap. Plin.: „smar. *in mun.*" An denique ap. Lucil. *pondere* legendum?

3) Cod. *concere*: inde Dous. in ann. et Voss. *concoenae;* Scal. vero *concerae*, is quidem literarum similitudinem accuratissime observans; sed apud Lucilium praetulerim *congerrae*, quum et geminae consonantes et *g* litera inde a bello Punico secundo scribi sint coeptae. vid. Schn. l. l. p. 271. 397. *Congerra*, i. e. nugator, quod idem Scal. altero quoque loco ap. Fest. v. Sodalis invenisse sibi videtur, mutata terminatione est Plauti *congerro*, vid. Forcell. h. v. Varro L. L. VII. p. 340. Sp. et Fest. vv. Cerrones; Gerrae; ibique ann. O. Mueller. Doederl. Syn. VI. p. 144 „gerrire, γηρύειν; davon gerrae; cerrones oder gerrones, leves et inepti bei Festus:" cf. id. III. p. 86. Alias non

V. 5. Homericum illud Ἄρες Ἄρες (Il. ε. 31 et al.) licet minus recte compositum sit cum latinis, quae praemissa sunt, Lucilio tamen hoc loco id potissimum agenti, ut eandem vocalem et productam et correptam ostenderet, ejusmodi exemplum vel propterea poterat aptum videri, quod utramque *a* literae pronuntiationem uno eodemque vocabulo repraesentaret. Sibine Lucilius similem metiendi libertatem concessam putaverit, an coluerit »Musas severiores,“ ut ait Martialis, Epigr. IX. 12. v. 13 sqq.

Dicunt Earinon tamen poëtae,
Sed Graeci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἄρες Ἄρες decet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores:

ex paucis, quae supersunt, carminum reliquiis dijudicare vix licebit. Nisi forte inde conjecturam feceris, quod ille nomen Sigillaria in hexametro ponere aliquando non sit ausus. Nam versibus illis Lucilii ap. Porphyr. in Hor. Sat. I. 5. 87. D. VII. 5.

servorum est festu' dies hic,
Quem plane hexametro versu non dicere possis,

Sigillaria significari, sacra quaedam a Macrobio Sat. I. c. 9 extr. descripta, docuit Scaliger in Castigatt. Fest. v. Servorum, laudato Auson. in Ecl. de Fer. Rom. v. 32, qui hac utitur circumlocutione:

Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.

---

reperiri *congerra*, non mirum est, quum sermonis usus in personarum nominibus, quae in *o* et *a* desinebant, raro utramque terminationem videatur recepisse. Lucilio nomina in *o* exeuntia frequentiora sunt, v. c. *mando*, D. inc. 85. *furco, comedo*, IV. 9. *combibo*, XXVI. 60. alia; nec inveni, quod apte compararetur cum *congerra*, nisi illud, quod Ausonius ab Lucilio sumpsit, *pulliprema*: Epigr. LXX. 8. ed. Web.

Lucili vatis subulo, pulliprema.

Tapullam legem convivalem Festus dicit ficto nomine conscriptam in carmine jocoso a Valerio Valentino, fortasse eodem, cujus versum citat Varro L. L. X. p. 583 et Prisc. VI. p. 679. 712 comoedism Phormionem. Ant. August. ad Fest. l. l. de Villio Tappulo, cos. a. u. 555, nomen tractum putat, alii de *tabula* et simill. Probabilius Doederl. l. l. VI. p. 363 „vielleicht von σταφυλή.“ O. Mueller, ann. in Fest. h. l., comprobat *Tapullam* et *congerrae*, pro *opimi* vero scribendum putat *optimi*, ut fiat senarius versus. Sed, nisi fallor, Opimius est ille, de quo Lucilius ap. Non. v. Fama. p. 305. D. XI. 1.

Quintus Opimius ille Iugurthini pater hujus,
Et formosus homo fuit et famosus, utrumque
Primo adulescens, posterius dat rectiu' sese.

Adolescentulus male audivit. cf. Cic. de Or. II. 68. fin. Cos. a. u. 600. Liv. Epit. 47. Filius, patre clarior, Lucius Opimius, Gracchi interfector, Iugurthinus per opprobrium a Lucilio dictus est, quod fuerat unus ex legatis a Iugurtha corruptis. Sall. Iug. 16.

Est tamen ubi Lucilius syllabas natura breves in initiis vocabulorum metri gratia produxisse videatur, ap. Non. s. v. Sescentum p. 493. D. XXX. 20.

Quid vero est, centum ac dūcentum possideas si
Milia? 4)

Et ap. eand. s. v. Dominus. p. 281. D. XIII. 5.

Primum dōminia atque sodalitia omnia tollunt 5).

Quamdiu veteres geminare longas vocales soliti sint, docemur a Quintil. I. 7. 14. „Usque ad Attium, inquit, et ultra porrectas syllabas geminis, ut dixi (I. 4. 10.) vocalibus scripserunt.“ Mar. Victorin. p. 2456 in iis, qui geminatis vocalibus usi sint, appellat Livium et Naevium, Attium obscurius significat. Scaur. l. l. unum Attium nominat, idemque facit Vel. Longus de Orth. p. 2220 his verbis: „nam nec Accium secuti sumus, semper vocales geminantem, ubicunque producitur syllaba“. In Attii vero carminibus quaedam mutasse Lucilium, Horatius est testis, Sat. I. 10. 53. „Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?“ Idque factum esse in ipso libro IX, testatur Schol. Porph. ad Hor. l. l. „Facit autem Lucilius hoc cum alias, tum in tertio libro et *nono* et decimo.“ Illud *mutat* a Schol. Cruq. ita explicatur, ut etiam ad

---

4) Ed. Ven. *similium;* cett. *millium:* sed si sententia integra est, praestat *milia*, quod scripsit J. Dous. in Centonibus Lucil. sect. 8. *Ducentum* tum est forma indeclinabilis, quam invenimus ap. Colum. R. R. V. 3. 7. „mille ducentum et viginti quinque:“ eademque manebit, si ita legerimus: „Quid vero est, centum ac ducentum (sc. possidere), possideas si Milia?“ Facillimum erat, mutata partic. *ac* in *atque* usitatam vocis *ducentum* tueri mensuram, sed extat alter Lucilii locus, in quo eadem vox et primam habet longam et caret declinatione, ap. Non. v. Cadi p. 544 et De Num. et Cas. p. 495. D. XVIII. 1.

Milia dūcentum frumenti tolli' medimnum,
Vini mille cadum:

Ac suspicor praeterea tertium exemplum neglectae declinationis in illis cernendum esse, quae sunt ap. Non. l. supr. c., D. XXX. 19

Maximu' si argenti sescentum ac mille reliquit;

quamvis Non. diserte dixerit: „sescentum pro sescentorum.“ Eum enim etiam usitatiora pro novis habuisse, notavit Schneid. l. l. II. p. 458, ubi explicuit locos Varronis ap. Non. v. Pondo duc. p. 163. et, qui Lucilianis simillimus est, ap. eund. v. Pondo m. oct. p. 149 „itaque rettulit auri pondo mille *octingentum* septuaginta quinque.“ vid. imprimis nott. Schn. l. l. Festus quoque *Quincentum*, antiquam formam, memoravit: cf. h. v. Ceterum Lucilius et mensura et constructione usus est vulgari, ap. Non. v. Corbita. p. 533. D. XV. 1. „Polyphemu' ducentos.“

5) Ita legendum; nam quae habent Edd. *tolluntur* et *tollantur*, ea inde orta sunt, quod ap. Non. verbum *tollunt* excipitur nomine *Tur*pilius. Hoc versu Lucilius notat rigidam severitatem legum quarundam sumptuariarum vel eorum, qui has leges tulerant. *Dominiis* autem mutuis et sodalitiis modum esse impositum senatus consulto a. u. 593 et lege Fannia, colligimus ex loco Gellii II. 24. 2. sqq.

C. LUCILII SATIRARUM

QUAE DE LIBRO NONO SUPERSUNT, DISPOSITA ET ILLUSTRATA.

Orthographia [1].

I.

Terent. Scaurus de Orthogr. p. 2255. ed. Putsch. Dous. IX. 1. (C. Lucili Satyr. Reliquiae. Franc. Jani F. Dousa coll. cet. LB. 1597. repet. ab Haverc. in editione Censor. De Die Nat. LB. 1743).

---

1) Inscriptiones fuisse Satiris Lucilianis, sententia est Lerschii (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1837. N. 128.), quum firmat et loco Arnobii adv. Gent. II. 6 „Fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis," ubi Orellius „Fornix, inquit, videtur fuisse titulus incerti Satirarum Lucilianarum libri": et verbis Porphyr. in Horat. Carm. I. 22. 10. „Dum meam canto Lalagen, id est, carmen in Lalagen amicam, ejus nomine compositum. Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur eo, quod de Collyra amica sua scriptus sit." Praeterea, ut eidem V. D. videtur, alius liber *Scipio*, alius *Orthographia* inscriptus fuit. Nec temere hoc ab eo judicatum esse, testes sunt grammatici: Ter. Scaur. p. 2255 „Lucilius in IX Satyrarum, de *Orthographia* praecipiens"; et, annotante Dousa p. 322. ed. Hav., Isidorus: „*Orthographiam*, id est scripturam rectam contra imperitiam librariorum Lucilius Poëta primum scripsit;" item Vel. Longus, licet non ipso nomine Orthographiae sit usus, p. 2214; „apud Lucilium in IX, in quo *de literis* disputat." Lucilius quidem non solum de scriptura literarum, verum etiam de verborum usu et significatione praecepta dedit; sed quum a literis exorsus esset, ab hac parte argumenti ipsi Satirae titulum videtur indidisse. — Eandem rem tangit *van Heusde* in *Disquisitione de Aelio Stilone* p. 38. I (Traj. ad Rhen. 1839): qui praeter librum XVI, primum quoque habuisse titulum, *Concilium Deorum*, citatis Lactant. Div. Inst. IV. 3. Serv. ad Aen. X. 104. Jul. Sab. ad l. l. v. 18, comprobat. Ibidem quae V. Cl., adductus verbis Auctoris ad Her. IV. 12. „Quo in vitio (inconcinnae trajectionis) est Lucilius assiduus, ut hoc est in *priore* libro:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus Aeli,"

de divisione operis Luciliani priore et posteriore disputat, ea ita non improbo, ut tamen duas tantummodo inscriptiones a Lucilio factas esse negaverim (cf. ad Fr. XIV), neque igitur crediderim ex titulorum numero recte posse ea de re conjici. Hoc quidem assentior Viro Ill., primo bipartitum fuisse Lucilii opus et grammaticos demum numero distinxisse triginta libros: at metris potius quam inscriptionibus id mihi videtur significari. Nec quinos denos libros in utroque volumine fuisse arbitror, sed in priore eos, qui hexametris, in altero eos, qui jambicis et trochaicis numeris conscripti sunt. Liber trigesimus, qui hexametros continet, utrum temporis an argumenti ratione habita, hunc numerum acceperit, dijudicare non ausim. Grammaticum autem, a quo facta sit posterior designatio Satirarum Lucilianarum, suspicor eundem illum Valerium Catonem esse, quem notat Horatius ante Sat. I. 10, de quo Heindorf. haec exponit: „Dieser Cato verfuhr mit Lucilius Gedichten, indem er sie überarbeitete (διεσκεύασε), ganz wie Zenodotus und Aristarch mit den Ho-

numeri nominativus casus per *a* et *e* scribatur, genitivus vero singularis per *a* et *i*." Unum illud exemplum, quod novimus, quo *ai* terminatio plurali numero data est, Lucilii aetate facile erat pro specimine scripturae dudum obsoletae: extat enim in SCto de Bacchan., facto duodequinquaginta annis ante natum Lucilium. cf. Schn. l. l. II. p. 23.

III.

Varr. de ling. lat. VII. p. 373. ed Speng. p. 157. ed. O. Mueller. Diomed. p. 447. ed. P. Dons. inc. 97.

Cecilius pretor ne rusticu' fiat.

Varr. „In pluribus verbis *a* ante *e* alii ponunt, alii non; ut quod partim dicunt *sceptrum*, partim *scaeptrum*; alii Plauti *Faeneratricem*, alii *Feneratricem*; sic *Faenisicia* ac *Fenisicia*, ac rustici *Pappum Mesium*, non *Maesium*, a quo Lucilius scribit:

Caecilius [Praetor] ne rusticus fiat."

Ita Speng.; O. M. edidit: *Cecilius pretor n. r. f.* Diom. „Detractionis species sunt aeque quattuor — literae, ut si quis detracta *a* litera *pretor* dicat, ut Lucilius:

Pretor ne rusticus fiat,

cum debeat *ae* pronuntiari praetor" cet.

Scalig. in Conject. Varr. p. 152 ex duobus his locis primus composuit, quae in Lucilii versu conjuncta fuissent, hoc modo:

Caecilius praetor ne rusticus fiat.

Rectius tamen O. M. haec nomina scripsit *Cec.* et *pret.*, nam forma *pretor* Diomedis explicatione satis firmatur; *Cecilius* autem legitur in Codd. Flor. et Goth.: praeterea manifestum est, Varronem citasse Lucilii versum, quo exemplum *ae* literae cum *e* commutatae afferret. Idem V. Ill. in annot. b. l. „Lucilius, inquit, rusticum hominem ludebat, qui, si praetor factus esset, ne se *Cecilium pretorem* diceret, verendum erat." Cui interpretationi ita suffragor, ut idem credam, a Lucilio voce *rusticus* hic in homine notari pronuntiationem ab urbana consuetudine abhorrentem; rustici enim hominis fuisse, *e* pro *ae* vocali efferre, colligimus etiam ex altero loco ejusdem Varr. L. L. V. p. 99. Sp. „in Latio rure *edus*; qui in urbe, ut in multis, *a* addito, *aedus*." Sed suspicor verba *pretor rusticus* inter ipsa coniungenda esse, quod poëta hac appellatione non modo sermonis rusticitatem, sed simul etiam ambitionem videatur cavillatus esse Caecilii cujusdam, qui, tum temporis praeturam petens, praetorem urbanum se fieri speraret. Caecilium autem hunc puto unum ex Metellis

illis fuisse, fortuna sua celeberrimis, in quos versiculus ferebatur contumeliose dictus, quem Ascon. ad Cic. Verr. I. 10. servavit:

Fato Metelli Romae fiunt consules.

Fortunatissimi enim illi Metelli omnes vixerunt Lucilii aetate: Q. Caec. M. Maced., pater, cos. a. u. 611; et quattuor filii, Q. M. Balear. cos. 631, L. M. Diad. cos. 637, M. M. cos. 639, C. M. Capr. cos. 641. Laesisse vero Lucilium in carminibus suis Metellum aliquem, testatur Horat. Sat. II. 1. 67.

— aut laeso doluere Metello,

ubi Schol. Cruq. „Q. Caecilius Metellus, inquit, consularis, filios consulares vidit et ab illis elatus est. — Lucilius in gratiam Scipionis eum carpsit quamvis amicum.“ Quae ut recte annotaverit Horatii interpres, quamquam in narrationcula de Scipione tradita personas confudit (id quod animadvertit Heind. h. l.), neque illud accurate rettulit, Metellum patrem vidisse filios consulares, quum Cic. Fin. V. 27. et Vellej. I. 11 et Plin. H. N. VII. 45 inter se consentiant, quartum filium vivo patre praetorem et eo ipso anno, quo hic mortuus sit, candidatum consulatus fuisse: tamen illum Caecilium, qui hoc versu a Lucilio notetur, negaverim eundem esse Metellum majorem sive patrem, cui Macedonico cognomen erat. Hic enim praetor fuit a. u. 605, anno ante quam natus est Lucilius: quare vix intelligas, quomodo hic de ejus praetura perinde potuerit loqui quasi de re praesenti vel futura „ne fiat.“ Multo verisimilius est, haec ad C. Caecilium Metellum Caprarium referenda esse, eundem, de quo Cic. de Or. II. 16. »Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, Si quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram.“ Quod Scipionis dictum citat C. Sigonius de Nom. Rom. p. 1432. ed. Gothofr., ut Caprarii cognomen, C. Metello inditum, ex contumelia tractum commonstret. Quidquid vitii in Caecilio fuit, cui debebat cognomen suum, sive corporis habitu, sive moribus, sive sermone, sive denique nimio studio rei pecuariae, caprarii ac rustici hominis similem se praestitit: sicut Scipionem ea res ad dicacitatem provocavit, ita Lucilium quoque videtur excitasse, ut libertate usus illa, quam Schol. Porphyr. ad Hor. Sat. I. 3. 40 Lucilianam appellat, hic „in transitu amaritudinem« aspergeret. In eundem Metellum cadunt illa, quae sunt ap. Non. v. Rostrum. p. 455. D. V. 10, quibus Lucilius formam hominis invenustam illudere videtur:

Ne designati rostrum praetori' pedesque
Spectes.

Num Lucilio graviores etiam acerbitatis in C. Metellum causae fuerint, incertum est: sed suspicari licet, simultatum, quas cum eo habuerit, initium repetendum esse a militia utriusque Numantina. Hunc enim Metellum cum Scipione ad Numantiam

fuisse, legimus apud Cic. l. l., atque etiam Lucilium, duce Scipione Aemiliano, bello Numantino equitem militasse, auctor est Vellej. II. 9, idemque comprobavit Varges in Mus. Rhen. phil. III. p. 34 sqq., quum aliis adhibitis testimoniis, tum versibus nonnullis Lucilianis, quibus poëta homines quosdam ita appellat, ut militanti ipsi in Hispania gravissimas cum iis intercessisse inimicitias comperiamus. Omnino Lucilii cum Scipione ea videtur amicitia fuisse, ut ille eosdem, quos hic, et amicos haberet et inimicos. Ita enim carpsit Q. Caec. Metellum, ut ait Schol. ad Hor. l. l., „in gratiam Scipionis;" cf. Cic. Lael. 21. Off. I. 25. de Rep. I. 19, 31.: nec aliud ipsi propositum erat, ubi Ti. Claudium Asellum improbi nomine ornavit, ap. Gell. IV. c. 17. D. XI. 5:

Scipiadae magno improbus obiciebat Asellus,
Lustrum, illo censore, malum infelixque fuisse.

Quam rem etiam Cicero refert, de Or. II. c. 66: „Asello Africanus, objicienti illud lustrum infelix, Noli, inquit, mirari: is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit:" cf. ib. c. 64 et Orellii Onom. Tull. v. Ti. Claud. Asellus. Gravissime vero insectatus est L. Tubulum et L. Lupum et C. Carbonem, occisorem Scipionis, ap. Cic. de Nat. Deor. I. 23. Dous. I. 4:

Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus aut Carbo, Neptuni filiu' [Divos
Esse putasset, tam impius aut perjuru' fuisset?] [6]).

---

6) Ita Dousa hos versus restituendos censuit, ex hisce verbis Ciceronis: „Quid de sacrilegis, quid de impiis perjurisque dicemus?

Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus aut Carbo, Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam perjurus aut tam impurus (al. impius) fuisset?" *Tub. si Luc.* trajectione dixit Lucilius, „quo in vitio assiduus est" cf. Auct. ad Her. IV. 12.; *Neptuni fil.* eo sensu, quem explicuit Gell. XV. 22 „a poëtis Iovis filii prudentissimi humanissimique, Neptuni autem inhumanissimi et ferocissimi traduntur." *L.* autem *Hostilium Tubulum*, praetorem a. u. 612, Cicero pr. Scaur. 1, 5 appellavit „unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum." cf. Orell. On. Tull. h. v. — De *Lupo*, quem Hor. l. l. post Metellum nominat in his: „Famosisque Lupo cooperto versibus?", apud Lucilium dii ipsi judicium exercent: Serv. enim ad Aen. X. 104 „totus hic locus, inquit, de primo Lucilii translatus est, ubi inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cujusdam judicis in republica: postea sententias dicere." Eundem Lupum injustitiae nota designat Lucilius, ap. Prob. ad Virg. Bucol. VI. 31. D. XXIX. 1. senariis jamb.:

Hoc cum feceris,
Cum ceteris reus una tradetur Lupo.
Non aderit: ἀρχαῖς hominem et στοιχείοις simul
Privabit: cum igni et aqua interdixerit, duo
Habet στοιχεῖα: id malum erit, privabit tamen.

et heluationis, ap. Varr. VII. p. 333. Sp. D. IV. 6.

Occidunt, Lupe, saperdae te et jura siluri.

Unde Pers. I. 114:

IV.

Varr. de ling. lat. V. p. 86. Sp. p. 32. O. M. Dous. inc. 98.

ergo praetorum est ante praeire.

Varr.: „Praetor dictus qui praeiret jure et exercitu; a quo id Lucilius“ sqq.

O. Mueller edidit: „Ergo praetorum est antidire:“ et in nott. scripsit: „*antidire* conj. — *ante et praeire* codd. — *ante praeire* vg.“ Vulgatae favent duo loci Varronis: alter de L. L. V. p. 90: „In re militari Praetor dictus qui praeiret exercitui;“ alter in libro de Vita pop. Rom. II, ap. Non. v. Cons. et Praetorum p. 23: „quod praeirent populo, Praetores.“ *Ante praeire* abundantur dixit Lucilius, ut Terent. Andr. I. 5, 4 „ante praescire.“ Alia exempla praebet Ruddim. gr. lat. II. p. 371. ed. Stallb. Ex Lucilii reliquiis haec affero:

ap. Non. v. Jacet. p. 326. Dous. XXX. 31.

Et sua perciperet retro rellicta jacere.

(*rellict.* approbante Schn. gr. lat. I. p. 590.)

et ap. eund. v. Porcet. p. 159. D. VI. 19.

non te porro procedere porcent.

(Paul. Exc. Fest. v. Arcere. „Porcet —, quasi porro arcet.“)

et s. v. Prodere. p. 363. Donat. in Ter. Andr. II. 1, 13. D. V. 22.

Possitne elabi an porro prodenda dies sit.

Particula *prae* in v. *praeire* sequente vocali correpta est, ut ap. Virg. A. VII. 524

---

secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.

Heind. ad Hor. l. l. monuit, hunc esse L. Corn. Lent. Lupum, cos. a. u. 597, non illum, quem putaret Schol. Cruq., P. Rutil. Lupum, cos. 664, i. e. anno tertio decimo post mortem Lucilii. — De *Carbone* Cicero in Ep. ad Fam. IX, 21, 3 haec scripsit: „Tres illi fratres fuerunt, C. Cn. M. Carbones — Cajus, accusante Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur (635): is et tribunus pl. seditiosus (623) et P. Africano vim attulisse existimatus est (625).“ cf. Orell. Onom. Tull. h. n. — *P. Mucium Scaevolam*, cos. a. u. 621, quem Cicero, de Rep. I. 19, una cum Metello Maced. et P. Crasso Muciano et App. Claudio, obtrectatorem et invidum Scipionis dicit, a Lucilio lacessitum esse, praeter Pers. l. l., indicio est versus Iuven. I. 154:

Quid refert, dictis ignoscat Mucius, an non?

Inferioris ordinis objurgatorem P. Africani Lucilius notare videtur ap. Fest. v. Scurrae; D. inc. 6.

Corneliu' Publiu' noster,
Scipiadam dico, tempus quom torqueat ipsum
Oti deliciis, cum lucifuga atque cinaedo et
Sectatore adeo ipse suo (quo rectiu' dicas)
Ibat forte domum, sequimur multi atque frequentes.

Ita hos versus emendavit O. Muell. in Fest. p. 294. 95 et 406.

praeustis, de q. v. Schneid. l. l. I. p. 103; et *de* in verbis compositis ap. ipsum Lucilium: Non. s. v. Exsultare. p. 300. D. XXX. 18.

Quin totum purges, debelles me, atque dĕaures,
Exsultes et sollicites;

et s. v. Depoculassere ac dearg. et decal. p. 97. D. XXVI. 8.

Dépoclassere áliqua sperans me ác dĕargentássere;
Décalanticássere, eburno spéculo despeculássere [7]).

et s. v. Cernuus p. 20. v. Collum p. 200. D. XXVII. 27.

Modó sursum modó dĕorsum tánquam collus cérnui

(*modo* pro jambo est, ut ap. Plaut., Asin. prol. 5. cf. Chr. Wasii liber, qui inscriptus est Senarius, p. 225, ed. Oxon. 1687).

V.

Velius Long. de Orth. p. 2225. ed P. Dous. IX. 5.

Abbitere: multum est, d siet an b.

Vel. Long.: „Abbire etiam quidam geminata b maluerunt et dicere et scribere, ut intermissa d. Et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius, qui ait:

Abbire multum est, d si et an b habet."

Dous. *nullam diff.* mutavit in *nonnullam diff. si et* in *sive*. Schneid. gr. lat. I. 2. p. 632 in nott. locum ita emendavit: „Abbitere etiam quidam geminata b maluerunt et dicere et scribere (sc. quam adbitere), intermissa d (oder ut, intermissa d, geminetur b, wie es oben hiefs ut, d litera omissa, p geminet sc. praepositio ad), sed in hoc multam differentiam putat esse Lucilius, qui ait:

7) Merc. ed. „Depoculassere (al. depeculassere) aliqua sperans me ac deargentassere; Decalauticare, eburno speculo depeculassere:" ita ut prior versus sit tetr. jamb. acat., alter vero justis metris careat. Ejusdem tamen initium quum trochaicis numeris constet, mendum videtur in verbo postremo esse, quare pro *depecul.* Lucilium scripsisse puto *despecul.*, id quidem formatum a *speculo* ad similitudinem praecedentium verborum. Iam vero ut prior quoque versus sit troch. tetr. cat., recitandum erit: *depoclassere*: forma contracta, quam eandem nominis *poclum* a Lucilio positam invenimus ap. Non. v. Componere p. 260. et Fingere p. 308. D. VIII. 2. Similia ex Lucilio citavit Schn. l. l. I. p. 171. *frigdaria*, D. VIII. 8. *ardum*, D. XXVII. 12. *monstrificable*, D. XXVI. 48. — Non. p. 537 „Calautica est tegmen muliebre, quod capiti innectitur." Al. Edd. „Calantica:" et Doederl. Syn. VI. p. 47. „calantica, decalanticare, von celans ebenso gebildet wie olentica bei Festus." Lindem. ad Fest. p. 408 conj. „Decalicassere atque e. sp. depec.;" qua conjectura certe concinnitati verborum bene consuluit: ejusque rationem secutus scripsi *decalanticassere*. — O. Mueller ad Fest. v. Decalicatum p. 75 Mercerianae lectioni patrocinans „Bene se habent hi tetrametri, inquit, — quod attinet ad numeros, et sententia aperta: loquitur mulier de muliere, quae ipsam poculo, argenteis vasis, calautica, eburneo denique speculo spoliare voluerit." Suspicor Virum Ill. non solum *depocl.*, sed pro illo *depecul.* etiam *dep'culassere* per syncopen voluisse pronuntiari.

abbitere multum est d sive an b habet."

Abbire rejicit, quod nusquam reperiatur, et, si quando scriptum sit pro *abire*, ab hoc tamen loco prorsus abhorreat. Neque quisquam, credo, formas *abbire* et *adbire* ita volet tueri, ut, comparatis verbis *uro* et *buro*, cujus vestigia extant in *bustum* et *comburo*, ex verbo *ire*, *b* litera praefixa, effingat verbum *bire*, quemadmodum *bitere* ab *itare* deducere placuit viro ingenioso, Duentzero in Dissert. de Livii Andron. Fragm. p. 79. Deinde Schneiderus demonstrat, duo tantum verba esse, de quibus Lucilio licuerit ita disputare, *abbibere* et *abbitere:* sed *abbibere*, ex *ab* et *bibere* compositum, neminem veterum dixisse, neque igitur verendum fuisse, ne quando cum *adbibere* confunderetur. *Abbitere* vel propterea praeferendum censet, quod syllabam a fine tertiam productam habeat, eamque ob causam numeris dactylicis aptius sit, quam *abbire*: haec enim Lucilii verba ad librum nonum pertinere et hoc modo esse inter duos versus distribuenda:

abbitere multum est

d sive an b habet.

Ut *an* particulam hoc loco pro *aut*, *vel*, *sive* usurpatam ostendat, conferri jubet Ernestium ad Tac. Ann. XI. 26: indeque locum sic explicat: multum discriminis est abbitere si vel d vel b habet. Verum V. D. ipse sensit, ceterorum locorum, in quibus *an* pro *aut* et *sive* positum inveniretur, non plane eandem rationem esse atque hujus Luciliani. Nec fugere poterat eum, qui ipse vidisset illud „multum est" idem significare quod „multum interest, differt," hic longe aptissima esse quum obliquam interrogationem tum vero etiam conjunctivum modum, huic structurae proprium. Accedit quod Putschius non *sive*, quae videtur Dousae emendatio esse, sed *si et*, i. e. *siet*, edidit, qua forma Lucilius saepius est usus: cf. Fr. XIV. v. 1.; Cic. Fin. II. 8, D. IV. 7; Macrob. Sat. IV. 4, D. XIV. 6.; Schol. Juven. III. 143, D. inc. 16; Non. v. Niti, p. 353. D. XXVI. 20; Non. v. Insigne p. 331, D. XXVII. 2. Itaque satius duxi vocem *habet* delere; praesertim quum eadem ex iis, quae proxime sequuntur apud Longum, facillimo scribentium errore praeripi potuerit. Verba enim grammatici haec sunt: „b habet ex praepositio habet" cet. Apud Terentian. Maur. p. 2388. 13. versus est exitu simillimo:

Refert nihili K prior an Q siet an C.

Plautus verba *adbitere* et *abbitere* alio modo inter ipsa distinxit, nam alterum quidem scripsit, ut Lucilius, *adbitere*: Captiv. III. 4. 72.

Námque edepol si adbítes propius, ós denasabít tibi;

alterum vero una b litera, *abitere:* Rud. III. 4. 72.

Húnc quoque asserva ípsum, ne quo abítat; nam promisimus.

Antiquiore aetate pro *adbitere* dicebant *arbitere*, unde *arbiter* „qui aditur“ Doederl. l. l. II. p. 162. Quod in v. *arbiter* media syllaba correpta sit, non est mirandum: cf. Fr. Ritter. El. gr. lat. p. 26. *Betere*, *perbitere* ex Liv. Andron., Ennio, Pacuvio, Titinnio, Varrone affert Non. s. vv. *betere* p. 71. *perbitere* p. 153; *bitere*, *imbitere*, *perbitere*, *praeterbitere*, *rebitere* ex Plauto Par. in lex. Plaut.; cf. Was. l. l. p. 237. Naevio per conjecturam restituit *combitere* ap. Varr. L. L. VII. p. 386 Scaliger in Conject. p. 161.; et *rebitere* ap. Fest. v. Stuprum Both. Fr. trag. p. 96. n. 25; idemque ibid. p. 104 Pacuvio in Antiop. *interbitere*. Atque etiam in Lucilii versu ap. Non. v. Repedare p. 165. D. XXVI. 18. verbum *bitere* invenisse sibi visi sunt Scaliger, de q. v. Dous. l. c., et Palmerius, in Grut. Lamp. IV. p. 724; non tamen cum illo scripserim *vitat*; quasi, *v* litera pro *b* posita, ipsius Lucilii scriptura expressa sit (v. Schn. I. p. 227), neque cum Palm. *bitet*, fut. tempus, sed cum Dousa: *bitat*; versum autem, quem Dous. improbabili ratione distraxit, puto jambicum tetr. acat. esse:

Redísse ac rēpedásse, ut Romam bítat gladiatóribus:

cui adjungo eum, quem Non. ibid. citavit, Dous. inc. 67:

Sané tum ego a Metéllo Romam rēpedabam múnere.

De *re* particula producta vid. Schneid. I. p. 582 sqq., quo auctore fortasse rectius erit *repped.*; cf. voc. *rellicta* ap. Lucil. loco supra ad Fr. IV memor. *Gladiatoribus*, i. q. *munere*, ludis gladiatoriis. Frequentatio verborum idem significantium „red. ac rep.“ nihil offensionis habet, ut apud Lucilium, qui similiter dixerit „redit ac recipit se.“ Dous. III. 22.

VI.

Vel. Long. de Orth. 2225. Dous. IX. 4.

accipere atque accurrere scribas,
D ne an c, non est quod quaeras atque labores.

Long.: „in his partibus orationis, quae incipiunt a litera *c*, non facile potest hac praepositione (sc. *ad*) admota sonare d litera. Haec similiter litera geminatur in eo quod est *capio*, *accipio*. Itaque Lucilius:

atque accurrere scribas
D ne an c, non est quod quaeras atque labores.

Ille quidem non putavit interesse scripturae; sed scilicet si sonus consulitur, interest aurium ut *c* potius quam *d* scribatur.“

Negavit igitur Lucilius ad scripturam quidquam interesse, utrum *d* sequenti *c*

assimularetur, necne. Ipsum tamen geminationem vel assimulationem, quam hodie dicimus, praetulisse, ex iis, quae in Fr. X de *pelliciendo* praecepit, conjicere licet. Dousa in marg. pro his *atque accurrere* legendum proposuit *utque acc.*, causa tamen, cur hoc mallet, non indicata. Mihi quidem particula *atque* indicio est, plura verborum exempla fuisse: quorum unum *accipere,* ab ipso Longo suppeditatum recepi.

VII.

Servius ad Virg. Aen. IV. 158. ed. Lion.; Philargyr. ad Virg. Georg. IV. 25. Dous. IX. 11.

Ut perhibetur iners, ars in quo non est ulla.

Serv.: „*Iners* proprie quid sit, Lucilius declarat.

Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla."

Philarg.: „Ut apud Lucilium in XIII:

Ut perhibetur iners, ars in quo non est (al. erit) ulla."

Dousa edidit versum, qualis ap. Phil. est: et in annott. dicit, se hunc versum in reliquiis libri IX. reposuisse, quod Lucilius haec videretur in grammaticos dicere, Servius autem alium libri numerum indicaret ac Philargyrius. Illum enim in sua editione primum citare, hunc XIII. Apud Serv. legit *est*, idque retinendum censet, ut versus spondaicus sit: alios male mutasse *est* in *erit.* Accedo Dousae, neque repugnabo, si quis Lucilium dixerit pro dactylo in quinta sede spondeum posuisse, quoniam hic pes tarditate sua idoneus esset ad imitationem quandam *inertiae*, sicut alias ad exprimendam doloris magnitudinem, ap. Non. v. Crepera res. p. 13. D. V. 6.

Sane tute es solu' mihi in magno maerore,
Tristitia in summa, crepera in re, inventu' saluti:

et ad pingendam tarditatem animi variis artificiis capti atque impediti, ap. Non. v. Manicae. p. 350. D. XXX. 52 (cf. Cic. de Or. I. 10, 43):

Sic laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.

Cicero, Fin. II. 34, 115, fortasse recordatus est hanc Lucilii interpretationem, ubi dixit: „has maximas artes, quibus qui carebant, *inertes* a majoribus nominabantur." Item Fest. consentiens cum Lucilio „*Iners*, inquit, ignavus vel sine arte." Et Isid. X. p. 1078. ed. Goth. „*Iners,* sine arte, et ob hoc ne operis quidem ullius."

VIII.

Vel. Longus de Orth. p. 2214. ed. P. Dous. IX. 2.

a. r.

Hoc non multŭm abest κακοσύνθετον, atque canina
Si lingua dico, nihil ar me: nomen hoc illi est.

Long.: „Inventi sunt tamen, qui et sine vocali putent posse syllabam fieri. Nam animadvertimus apud Comicos S et T, sqq. Sed scilicet si hoc sectentur, possent etiam plerasque consonantes et omnes semivocales pro syllabis ponere. Nam apud Lucilium in IX, (in quo de literis disputat), omnem vicem syllabarum implent, quum dicit:

A re non multum abest hoc cacosyntheton, atque canina
Si tibi lingua dico nihil ad me nomen hoc illi est."

Dous.:

At non multum abit hoc cacosyntheton atque canina
Si lingua dico, nihil ar me; nomen hoc illi est.

Recte Dousa restituit „ar me," quae nota sunt ex Plaut. Truc. II. 2, 17 „ar me advenias." Hoc tamen non satis meminerat, Longum citare Lucilium, ut literas syllabarum vicem implere monstraret: nec Putschius ejus memor erat, quum ederet: »a re." Ab ea lectione, quam grammaticus videtur habuisse, propius abfuit Fr. Junius, qui, testante Dousa, ita emendavit: „a. r. Non multum abest hoc" etc. Vocab. κακοσύνθετον graece scribendum est; graeca enim terminatione opus est, ne idem versus bis hiet; et Lucilius, ut ait Horat. Sat. I. 10. 20. „verbis graeca latinis Miscuit;" nec aliter scriptum reperitur hoc nomen ap. Quint. VIII. 3, 59 et Charis. p. 243 et Diomed. p. 446, qui eodem appellarunt vitiosum quoddam structurae genus. In his „*nomen hoc illi est*" si quem offendat, quod pronomen *hoc* correptum sit, facillimum erit *hoc* in *id* mutare, quemadmodum Schn. gr. l. I. p. 667 faciendum existimavit in versu Lucilii ap. Non. v. Nenu p. 143. D. XXX. 42, ubi Scaliger:

Sed tamen hoc dicas, quid hŏc est, si nenu molestum est?

Verum quod Virgilius aliique commiserunt, ut *hic* et *hoc* pronomina corriperent, idem Lucilio licuisse non negaverim.

Si Lucilius non de sola praepositione, sed, ut fecit in Fr. V. et VI, etiam de verbis cum ea compositis egit, cujus modi sunt *arfari*, *arvolare*, *arfuise* et alia, quae collegit Schn. l. l. I. p. 257: locus hic erat disputandi de verbo *redarguendi*, quippe in quo *ar* retinendum esset, quum in aliis κακοσύνθετον haberetur. Quare

illud quod Festus s. v. *Redarguisse*, Lucilio auctore, tradidit, ex hoc libro nono haustum esse dicerem, nisi versus ibidem citati trochaici essent 8). — Lucilium secutus est Persius, Sat. I. 109, qui *r* literam ita designavit:

sonat hic de nare canina
Litera.

Hiatus post voc. *multum*, in thesi admissus, excusatur exemplis, quae Schneid. l. l. I. p. 155 sqq. quum ex aliis poëtis, tum ex Lucilio attulit, veluti ap. Non. v. Tunica p. 536. D. I. 21:

Praetextae ac tunicae, Lydorum opu' sordidŭm omne.

---

8) Fest.: „*Redarguisse* (vel potius *Rederguisse*, ut recte judicaverunt Dac. et O. M. in Fest. h. l. et Schneid. I. p. 9. not., non, ut Scal. et alii, *redarguesse*, quasi Scipio vetustis ac subrusticis studuisset: cf. Schn. ibid. p. 15) per *e* literam Scipio Africanus, Pauli filius, dicitur enuntiasse, ut idem etiam *pertisum*: cujus meminit Lucilius, cum ait:

Quó facetiór videare, et scíre plus quam céteri,
Pertisum hominem, non pertaesum dicere ferum nam genus"

Ita Cod.; inde Scalig. Castigatt. Fest. p. 151 secundum versum hoc modo emendavit:

Pértisum hominem, nón pertesum dícere fortunám, genus.

Quae verba sic interpretatur: „Quo facetior videare, P. Scipio, dicis: homo pertisus est fortunam pertisus est genus:" assentiente O. Muellero, qui haec annotavit: „Probabiliter: quod sententia non integra est, in Festo non est sine exemplo." Lindem. dedit *hominum*: pro *ferum* autem cum Gothofr. et aliis proposuit *ferunt*. *Pertisum* igitur verbum impersonale est, cui genitivus *hominum* eo sensu conjungitur, quo significet id, quod taedium moveat. Quae quidem structura veteri sermonis usui videtur optime convenire; nam antiquiores scriptores verbo *pertaesum est* fere impersonaliter uti solebant, et, quod sciam, Suetonius demum, in Caes. 7, scripsit: „pertaesus ignaviam suam," postquam Tacitus, Ann. XV. 51, itidem deflectens a veterum consuetudine, dixit: „lentitudinis eorum pertaesa" sc. Epicharis quaedam, et ante hunc qui vixit Tiberii aetate, Massurius Sabin. ap. Macr. Sat. III. 6 „artis distisus suae." Quin idem Scipio Aemilianus, cujus verba hic memorantur, ap. Macr. l. l. II. 10 ita loquitur: „quod me rei publicae misértum est:" maluit igitur cum Plauto, Pacuvio, Terentio, aliis verbum *miserendi* ad similitudinem illorum *pertaesum, puditum, pigitum est* adhibere quam quod pariter licebat et inde a Cicerone usitatum est, dicere *misertus sum*. At fieri potest, ut praeter *pertisum* nihil sit Scipionis, Lucilius autem aliam praetulerit similitudinem, velut verbi *perosus*: hinc accedo Scaligero, rejiciendam tamen, ut apud Lucilium, puto formam *pertesum*, (cf. ad Fr. III), et ante *genus* inserendum *id*, quum haec locutio *id genus* Lucilio videatur quasi in deliciis fuisse: cf. Non. v. Rudus p. 18. D. XI. 8., v. Nebulones p. 19. D. XIV. 3, v. Mictilis p. 137. D. XX. 3.: jam ut hic legatur versus:

Pértisum hominem, nón pertaesum dícere fortunam íd genus.

Quae ratio Scipioni fuerit, cur *pertisum* mallet efferre, quam *pertaesum*, colligimus ex Cic. Or. 48: „Quam scite insipientem, non insapientem? iniquum, non inaequum? tricipitem, non tricapitem? concisum, non concaesum? Ex quo quidam *pertisum* etiam volunt, quod eadem consuetudo non probavit." Analogiam igitur secutus est Scipio, non usum. Etiam Quintilianus I. 7, 25 Scipionem in literis quaedam novasse refert, et credibile est, ejusmodi quaestiones literarias a Scipione et familiaribus, quorum in numero erat Lucilius, non raro tractatas esse

„ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli."

Horat. Sat. II. 1, 71 et Schol. Cruq. h. l.

cf. Fr. IX et hemistichium illud ap. Horat. Sat. II. 2. 28, quod Wasius l. l. p. 95 ex Lucilio desumptum putat, non improbante Schneidero l. l. p. 156:

cocto nŭm adest honor idem?

IX.

Charis. I. p. 100. P. p. 72. Lind. Donat. in Ter. Ad. II. 4. 18. Non. v. Irritare p. 31. D. I. 23.

Irritata canes, quăm homo, quod planiu' dicit.

Charis. „Canes. Lucilius primo:

Inritata canes, quam homo, quod planius dicit,

pro canis, nec enim potest dici, ut nubes, sedes, sed ut funis, turris" cet.

Don. „Proprie de lenone, quem irritari dicit, ut canem; nam irritari proprie canes dicuntur. Lucilius de litera r:

Irritata canis quod homo quam plurima dictat."

Non. „Irritare dictum est proprie provocare; tractum a canibus, qui quum provocantur, irritata (Jun. irruunt, Dous. irriunt). Lucil. Sat. lib. I:

Irritata canes, quam homo, quam planius dicit."

Dousa in annott. „libenter, inquit, quoniam de r litera agit, ad nonum Lucilii transtulissem, — sed movit me consensus Nonii et Charisii pariter ex libro primo producentium." Addidit etiam illud Charisii, quod est p. 83 ed. L. (p. 118. P.): „hic et haec torques nominativo, ut hic et haec canes, a Lucilio libro primo dictum legimus:" ubi grammaticus eundem Lucilii versum meminisse videretur. At, opinor, sententia verborum in disponendis his reliquiis nonnunquam majoris momenti esse debet, quam numerorum indicium apud grammaticos inventum: neque enim video, ad illa in Fr. VIII. „nomen hoc illi est" quae aptius adjungantur, quam haec: quod canis irritata planius dicit, quam homo. Huc accedit, quod Donatus Lucilii locum ita significavit: „Lucilius de litera r:" nam simili significatione libri noni usus est Vel. Longus, paulo superius laudatus, ad Fr. VIII, ubi dixit: „apud Lucilium in IX, in quo de literis disputat." — Schneidero, l. l. I. p. 156. not., ea quae sunt in altero hemistichio: „quam h. q. planius dicit," incerta videntur, quod Donatus a Charisio et Nonio discrepet: sed in Donatianis et manus et consilium correctoris haud obscuris vestigiis agnoscitur: nimirum hic ut sermoni succurreret, pro *canes* scripsit *canis;* ut structurae et numeris, pro *quam h.* posuit *quod h.;* reliqua vero „quam planius dicit" jam ne sensu omnino carerent, inde fecit „quam plurima dictat:" tanquam si Lucilius non de *r* litera locutus esset, sed comparasset hominem loquacem cum cane

irritata. *Canes*, forma antiquior, nota ex Plauti Trin. I. 2. 133, 35, reperitur etiam in hoc versu Lucilii, ap. Varr. L. L. VII. p. 320. Sp. p. 132. O. M. Dous. inc. 33.

Nequam et magnus homo, laniorum immani' canes uti,

et ibid. qui est, secundum libros, Ennii, Scaligero et Dousa, Fr. inc. 135, opinantibus, Lucilii:

Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat.

De metro vid. Fr. VIII; collocatio autem verborum excusationem habebit collato versu Lucciliano ap. Non. s. v. Messem p. 213.

Pótius, quam non mágno messe, nón proba vindémia:

vel, si quis praeferat Dousae emendationem, XXVII. 15.

Potiús, quam non magnúm messem esse, nón probam vindémiam.

(Nomen *messis*, teste Nonio h. l., Lucilio masculinum est: nec minus alienum est ab elegantiorum scriptorum usu, quod idem Lucil. ap. Charis. I. p. 72. P. 51. L. *calx* masculino, et *grex* feminino genere dixit). Ceterum hanc Scaligeri dispositionem:

„Irritata canes quod, homo quam, planiu' licit,"

non esse tam futilem, quam videatur Schneidero l. l., argumento est anastrophe particulae *ut*, in verbis Lucilii paulo ante laudatis: *canes ut*. Eademque admissa dicendi figura ap. Non. v. Quiritare. p. 21. Varr. L. L. VII. p. 379. Sp. p. 160. O. M. D. VI. 3, Lucilii versus ita legendos puto:

Haec, inquam, rudet e rostris atque ejulitabit,
Concursans ancarius ut, clareque quiritans;

quum edd. habeant: *veluti ancar.*, *veluti arenarius*. De v. *ancarius* cf. Doed. Syn. VI. p. 19: de *quirit.* Varr. VI. p. 244. Doed. l. l. V. p. 311.

Nec aliter Lucil. collocavit particulam *quasi* ap. Non. v. Meret p. 344. D. XV. 10.

dum miles Hibera
Hac meret in terra ter sex, aetate quasi, annos.

X.

Vel. Longus de Orth. p. 2227. Dous. IX. 9.

pelliciendo.

Long.: „*Per* vero praepositio omnibus integra praeponitur, nisi cum incidit in *l* literam ad finem (Schn. l. l. p. 637 em. *affinem*) consonantem, quam elegantioris sermonis viri geminare magis voluerunt, quam *r* literam exprimere, ut *compellabor* malint (Dous. *malim*) dicere quam *compelabor*. (Schn., auctore Pier. ad Virg. Aen. I.

147: „ut cum *pellabor* malunt dicere quam *perlabor*“); nec aliter apud Lucilium legitur. In praepositione per *l* liciendo, quod est inducendo, geminat l. Pellicere malunt quam perlicere.“

Dousa, Fr. Junium secutus, haec postrema ita scripsit: „nec aliter apud Lucilium legitur in praepositione per: *l* liciendo, (quod est inducendo) congeminat *l*. Pellicere malunt, quam perlicere.“ In quibus hoc conjecit fragmentum versus Luciliani esse:

L liciendo congeminat L.

Schneid. l. l. duas proposuit emendationes, quarum altera haec est: „item *pellicere* malunt quam *perlicere*. nec aliter apud Lucilium legitur in praepositione per: „*pelliciendo*“ (quod est inducendo) geminata l.“ Altera: „nec aliter apud Lucilium legitur (so dafs diese Worte sich an das vorhergehende pellabor anschliefsen). in *pelliciendo* (was aber schwerlich so viel heifsen kann als in verbo *pellicere*, und selbst dann wohl die Verbesserung inducere st. inducendo herbeiführen müfste), quod est inducendo, geminata l *pellicere* malunt quam *perlicere*.“ Ambigit igitur V. D., Lucilii vocabulum, a Longo citatum, utrum sit *pelliciendo* an *pellabor*. Voss. Etym. v. lacere, ut plerique, Lucilium de verbo *pellicere* disputasse censet. Lindem. ad Fest. p. 603: „locus Velii Longi, qui apud Ursinum citatur, sic est legendus: Nec aliter Lucilius in praepositione per:

Pelliciendo, quod est inducendo, geminat l;
Pellicere et malunt, quam perlicere.“

At verba „quod est inducendo“ non videntur Lucilii esse, sed interpretis alicujus vel ipsius Longi: nec credo, quod posterioris demum aevi scriptores, velut Seneca in Oed. 942 et Troad. 264, commiserint, ut ablativos gerundiorum in fine corriperent, idem hic jam a Lucilio factum esse. Ut enim mittam exempla hujus terminationis in arsi positae, quae sunt ap. Dous. XXX. 10. 54, producta eadem in thesi reperitur ap. Non. v. Sudum p. 31. D. XXIX. 57.

Nec ventorum flamina flando suda secundent.

Neque illa „perlicere malunt“ sqq. potius sunt Lucilii more suo de orthographia praecipientis, quam grammatici observantis, quomodo alii malint scribere. Itaque et haec a Lucilianis sejungenda sunt: nec restat, quod sine ulla dubitatione Lucilio adscribere liceat, nisi hoc: *pelliciendo*. Idemque voluit Schn., sententia priore loco proposita, in quam omnino concedo, tametsi verborum ordinem, qui est in Putschii editione, malim retineri et pro *item*, quod Schn. conjecit, inter *pellicere* et *malunt* inseri particulam *enim*, quippe quae compendio scripta consueto literis utrinque collocatis facillime potuerit aboleri: inde ut locus sic legatur: „nec aliter apud Lucilium legitur in praepositione *per*: „*pelliciendo*,“ quod est inducendo, geminata l. *pellicere*

enim malunt quam *perlicere.*" Quintilianus, XI. 3. 35, causam rei afferens »Vitatur, inquit, duriorum inter se congressus, unde *pellexit*" cet. In Plauto et *pellegere* et *pellucere* a se lectum esse refert Priscian. II. p. 571; et Ter. Scaur. p. 2260. ap. Virg. (Aen. VI. 34) legendum dicit: „Pellegerent oculis." cf. Schn. I. p. 573. *Pellige* est in Inscr. ap. Or. 4848, quae quidem propter formas hasce *deico*, *mareito*, *pulcrai*, et similes, in antiquioribus referenda est. — Qui alteram Schneideri emendationem praetulerit, hic exemplum, a Vel. Longo significatum, reperiet in versu Lucilii ap. Apulej. Flor. IV. D. inc. 56, quem Mercerus alteri ap. Non. v. Gradarius p. 17 subjunxit:

Ipse equu' non formosu' gradarius, optimu' vector,
Qui campos collesque gradu *pellabitur* uno.

XI.

Vel. Longus de Orthogr. p. 2214. D. IX. 8.

S nostrum et, semigraece quod dicimu' σίγμα,
Nil erroris habet.

Dous. scripsit *semi-Graece*, in notis vero „Lex carminis, inquit, postulare videtur, ut scribamus: *s* nostrum atque semigraece." Nempe in voc. *semigraece* primam voluit correptam. Verum non est quod Lucilium hoc loco et ceteris scriptoribus et sibi ipsum discrepuisse credamus: cf. Non. v. Medimnum p. 213. D. XV. 3. Secundam autem syllabam ut produceret, causa ipsi erat legitima, quod vocalis in arsi esset posita et duabus exciperetur consonantibus. Hae quidem muta et liquida sunt, quae potissimum in commissuris vocum compositarum correptioni videntur favisse; sed interdum tamen etiam in thesi longam effecerunt, e. c. ap. Lucr. IV. 206. ed. Web. „Multiplexque loci." Lucilio, in graecis poëtis multum versato, quum alia Homeri vocabula, tum maxime hoc, quo ipse usus est ap. Non. v. Compernes p. 25. D. XVII. 1. *καλλιπλόκαμον*, exemplo esse poterat. — Quid Lucilius de *s* litera praeceperit, incertum est, ac veteres, qui de usu quodam ejusdem literae, antiquis poëtis peculiari, disputant, potius exempla, quam praecepta ex Lucilio petere solent: cf. Fr. XVII. not.

XII.

Charis. Inst. gram. I. p. 43. ed. Lind. p. 59. ed. P. D. IX. 7.

Quare servandi numeri et versus faciendi,
Nos: Caeli, Numeri; numerum ut servemu' modumque.
porro hoc si filiu' Luci:
Feceris i solum, ut Corneli Cornificique.

Charis. ed L.: „[Lucius, Aemilius] et cetera nomina, quae ante *u* habent *i*, duplici *ii* genitivos [singulares finire debent, ut (ne) necesse sit adversus observationem nom] inativo minorem fieri genitivum, idque Varro tradens adjicit, [vocativum quoque] singularem talium nominum per duplex *i* scribi oportere, [sed propter differentiam] casuum corripi. Lucilius tamen et per unum *i* in genitivo („et per *i* genitivum" Edd. pr. et Fabr.) scribi posse existimat, ait enim:

servandi numeri [et versus faciendi
Nos Caeli Numeri, numerum et servemus modumque]

Nunquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium per *i* hujus Numerii faciendum crederet, et in lib. IV. sic ait:

porro hoc [si filius Luci
ferit] collum ut Corneli Cornificique.

Et paullo post:

[Pupilli, pueri, Lucili] hoc unius fiet."

Ad haec Lind. annotavit: „Quae nos dedimus, ex Putschiana editione sunt petita, ita tamen ut, quae in Cod. dubia et absentia, uncis includerentur. Putschius autem sua hausit ex Dousae interpolationibus. Cf. Lucilii Rell. p. 327 ed. Haverc., ubi sic refert Fr. Dousa, Jani filius: *Quare servandi numeri.* Ita optimos hos versus ex veteri codice Charisii eruit pater." In Praef. Char. p. X idem Lindem. de hoc codice J. Dousae „Vereor tamen magnopere, inquit, ne hic quidem Codex fuerit nullus Videtur mihi Dousa descripsisse Charisii librum, ut editionem praepararet, atque in hoc apographo de suo emendasse, quidquid peccatum sibi videretur." Quae suspicio aliquanto augetur annotatione quadam ejusdem Fr. Dousae, de q. vid. ad Fr. XVI. Verumtamen etiamnum incerta res est: unde retinui illa, quae Dousae debentur, v. 1 *quare, et versus faciendi;* v. 2 *Nos Caeli Numeri;* v. 3 *si filius Luci.* Versum quartum emendavi secundum Edd. pr. et Fabr., ex quibus Lindem. haec enotavit „fecerit colum." Libri, ad quem pertinent vv. 3 et 4, numerum IV mutandum esse in IX, tum ex argumento his versibus tractato, tum inde apparet, quod Vel. Longus p. 2220 eundem versum, quem Charis. l. l. extr. „paulo post" illos a se repertum esse significat, ex libro IX. affert: cf. Fr. XIII. 3. Praeter Charisium praecepti hujus Luciliani mentionem facit Beda p. 2373. P. his verbis: „nisi forte *regulam Lucilii* secuti sunt, qui *Lucilium* et *Aemilium* et cetera nomina, quae *i* ante *u* habent, non solum in vocativo, sed et in genitivo casu per unum *i* scribi posse existimant." Caecilius Vindex, quem Dousa in nott. h. l. laudat, quod ei Lucilii hic locus in mente fuerit, quum ita scriberet: „Si Lucus, Magnus, Magus sunt nominativi eorum, unum *i* in genitivo habebunt — si autem Lucius, Magnius, Magius proferantur, duo *ii* in

genitivo habebunt: ut Lucii, Magnii, Magii: quod ipsum *Lucilius* annotavit, quum a *Numero Numerium* discerneret," memoria falsus est; nam forma genitivi *Numerii* ne apta quidem erat numeris dactylicis. — Lucilius in his genitivis et pronuntiationem et scripturam eandem videtur probasse, quam Terentius et Nigidius et alii antiquiores scriptores, qui, ut Bentlejus, ad Ter. Andr. II. 1, 20 observavit „in nominibus substantivis, exeuntibus in *ius* et *ium*, semper genitivos casus *i* simplici efferebant.". Quodsi in praeceptis a Lucilio hac de re compositis haec legimus, — quae non tantum Dousae vel Putschii auctoritate nituntur, sed libris quoque firmantur a Lindemanno collatis, — *numeri servandi, numerum ut servemus;* haud temere, opinor, in eam sententiam adducimur, ut putemus, Lucilium tum potissimum voluisse genitivos illos uno *i* scribi, quum numeri essent servandi: quippe ubi imprimis cavendum esset, ne scriptura pronuntiationi repugnans imperitos induceret, ut recitando errarent. Quae quidem si Lucilius eadem, qua alias (Fr. I. 3) usus est, orationis forma expressit, fortasse ita scripsit:

Quando servandi numeri et versus, faciemus
Nos sqq.

Fuisse autem in antiquioribus, qui genitivum illum duplici *i* scribi vellent, scilicet ne hic casus minor fieret nominativo, Charisius l. l., Varronem appellans, satis docuit. Atque Ennii versus ap. Serv. ad Virg. Aen. VI. 219 et in Gloss. Forn. ms. v. Tyrannus; Ennii Ann. III. 15. ed. E. S.

postumque turanni
Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit,

documento est, posteriores poëtas, velut Propertium et Ovidium, quod genitivos nominum in *ius* et *ium* terminatorum duplici *ii* et scriberent et pronuntiarent, nihil novasse, sed revocasse inveterata vel potius ea, quae aliquamdiu potioribus scriptoribus displicuissent. Schneid. gr. l. II. p. 59, me quidem judice frustra addubitat formam *Tarquinii*, quod Donatus in Ter. Hecyr. I. 2 habeat »Exin Tarquinium:« hic enim ut de sententia poëtae erravit, id quod animadvertit E. S. h. l., ita ipsa quoque verba perperam citasse videtur.

XIII.

Quintil. Inst. Or. I. 7. 15. ed. Spald. »Diutius duravit, ut *e*, *i* jungendis, eadem ratione qua Graeci *ει*, uterentur. ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius praecipit:

Jam pueri venere: *e* postremum facito, atque *i*,
Ut puerei plures fiant.

ac deinceps idem,

Mendaci furique addes *e*, cum dare furei
Jusseris.

Quod quidem cum supervacuum est, quia *i* tam longae quam brevis naturam habet; tum incommodum aliquando.»

Vel. Longus p. 2220: »Hic quaeritur etiam, an per *e* et *i* quaedam debeant scribi secundum consuetudinem graecam. nonnulli enim ea, quae producerentur, sic scripserunt. Alii contenti fuerunt, huic productioni longam aut notam dedisse. Alii vero, quorum est item *Lucilius*, varie scriptitaverunt: si quidem in his, quae producerentur, alia per i longam, alia per *e* et *i* notaverunt, videlicet ut differentia quadam separantes: ut cum diceremus *viri*, si essent plures, per *e* et *i* scriberemus: si vero esset unus, *viri* per *i* notaremus. Et Lucilius in IX

Jam puerei venere, *e* postremum facito atque *i*
Ut plures faciant . . *i* si facis solum
Pupilli, pueri . . . hoc unius fiet.

Item:

Hoc *illi* factum est uni, tenue hoc facies *i*,
Haec *illei* fecere, adde *e*, ut pinguius fiat.

Idemque *peila*, quibus milites utuntur, per *e* et *i* scribenda existimat. at *pila*, in qua pinsatur, per *i*. hoc mihi videtur supervacaneae esse observationis.«

Ter. Scaur. p. 2255: »Item, quod Lucilius ubi *i* exile est, per se jubet scribi, at ubi plenum est, praeponendum esse *e* credit, his versibus:

Meile hominum, duo *meillia*, item huic utroque opus, *meiles*,
Meilitiam. tenues *i*, *pilam* qua ludimus, *pilum*
Quo pinso, tenues *i*. plura haec feceris, *peila*
Quae jacimus, addes *e*, *peila*, ut plenius fiat.

Quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diversa via delabitur, dicens in plurali quidem numero debere (*e*) literae *i* praeponi, in singulari vero minime" cet.

Mar. Victor. p. 2464: „qui de orthographia scripserunt, de nulla scriptura tamdiu, quam de hac quaerunt: quae per *i* literam singularem genitivum, et quae per *ei* literas nominativum pluralem faciant; locuti partim acute, ut mihi quidem videtur; (partim) inepte illud atque etiam ridicule; nam mihi quaedam succurrunt: *Pilum* ajunt militare et *vineam*, si sit subter quam milites aggerem instituunt, et *sicam* quae secat, et *ilicem* per *e* et *i* scribenda (ita em. Schneid. gr. l. I. p. 68. not.): at si pilum sit, quo pinsitores utuntur, et vinea, quae ruri colitur [et fistula] per *i*. Verba *et fistula* uncis inclusi, quod ab interprete videntur adjecta esse, idque alieno loco, nam pertinent ad *pilum*. Cf. G. Schneid. comment. ad Caton. de R. R. X. 3.

Charis. I. p. 60. P. p. 43. L. vid. Fr. XII.

In his grammaticorum locis quae Luciliana sunt, ea hoc ordine videntur referenda esse:

1. Jam puerei venere: e postremum facito atque i,
Ut puerei plures fiant. i si faci' solum,
Pupilli, pueri, Luceili: hoc uniu' fiet.
Hoc illi factum est uni: tenue hoc facies i.
5. Haec illei fecere: adde e, ut pinguiu' fiat.
Mendaci furique addes e, quum dare furei
Jusseris — —
Meile hominum, duo meilia; item huic utroque opu': meiles,
Meilitiam. tenues i, pilam qua ludimu', pilum
10. Quo pinso, tenues i. plura haec feceri' peila
Quae jacimus: addes e, peila ut pleniu' fiat.

Scaliger, Lipsius et hos qui secuti sunt, Dousa, Heinsius in Append. Horat., Dacerius ad Fest. p. 570. ed. Lind., vocabula *puerei*, *illei* cet. iisdem literis scripserunt, quibus Lucilius ea scribi jussit. Et recte quidem, ubi haec nomina a Lucilio ita commemorantur, ut ipsa sint exempla scripturae a se commendatae, veluti in v. 1 *puerei*, qua de forma Spald. not. crit. in Quint. l. l. „id tenendum puto, inquit, vett. aliquot edd. ut et Codd. scripturam, priore loco dantem *puere*, eo deducere, ut *puerei* scribamus ibi.“ Dativi tamen, qui sunt in initio versus sexti, *mendaci furique*, ab ipso Lucilio sola *i* litera videntur scripti fuisse, non enim, sicut in v. 5 *illei* et v. 10 *peila*, constructione a verbis *addes e* separati sunt, sed arctissime cum iis conjuncti, perinde ac si dixisset: ad literam *i* in vocibus *mendaci* et *furi* addes *e*. Eandemque scripturam praebent Quintiliani codices. In fine versus 6 iidem libri dativum *furi* exhibent: sed recte Spald. in textu posuit formam *furei;* cui lectioni nescio an nonnihil suffragetur corrupta illa, quam Zumpt. in Suppl. ann. p. 51 ex Amb. 1, summae auctoritatis libro, perscripsit: *fueri*. Verba *mendaci* et sqq. ita potius ponenda esse existimavi, ut exciperent versum quintum, quo simile praeceptum continetur, quam, quod Lipsius ceterique, quos supra nominavi, voluerunt, ut essent omnium postrema. V. 3 Dousa scripsit *Luceili;* incertum qua potissimum auctoritate: at, opinor, patris, quippe qui hoc nomen in Charisio suo repperisset. Cui quum ante, in Fr. XII, fidem habuerim, nunc non est quod diffidam: quanquam ea quoque, quae Vel. Longus habet, ut integrum efficiant versum, nihil requiritur, nisi ut *item*, quod

Putsch. grammatico tribuit, Lucilianis adjungatur et, addita *que* particula, mutetur in *itemque*. v. 8 quod legitur ap. Scaurum *meillia*, litera l duplicata, id sive ex libris suis hausit Putschius, sive de conjectura finxit, a Lucilio ita scriptum esse valde dubito. Quid enim, quod etiam tum, quum *i* longum per *ei* exprimi desitum est, multi scripserunt *milia?* Testantur id quidem grammatici, quos citat Schneid. gr. l. I. p. 412, Cledon. p. 1902. Cassiod. p. 2295. Beda p. 2339: eandemque scripturam in optimis libris mss. reperiri docet Zumpt. Gr. lat. p. 10. Quin etiam *mile* qui scriberent, fuisse refert Papirian. ap. Cassiod. l. l. „*mille* numerus a quibusdam per unum l scribitur, quod *milia* dicimus, non *millia*.» His fortasse auctor erat Lucilius, qui *meile* scripsisset: ceteris vero licebat Ennii auctoritate uti, quem constat primum geminasse semivocales. Quum enim antiquior Romanorum sermo syllabis natura brevibus abundaret, poëtae ut voces dactylicis numeris aptas haberent, interdum ipsi efficere longas coacti sunt. vid. Ritter. El. gr. lat. II. p. 122 sqq. Ennius igitur moram alteram, quae *i* vocali in voce *mile* deesset, duplicanda l litera, i. e. positione, addidit. Ipsa natura vocalis mutari non potuit; quare Ennii scripturam rationi convenientiorem fuisse, quam Lucilii, intelligitur. *Mile* autem et pron. *ile* et alia a vetustioribus brevi prima syllaba pronuntiata esse, persuasum est Rittero l. l. p. 123, 25; nec improbabile est, exemplum ejus correptionis extare in loco Plauti, Trin. II. 4. 23:

Trapézitae mĭlle dráchumarum Olýmpicum:

etsi enim Schneid. I. p. 724. 737. *trapezitae* in tertia a fine correptum esse suspicatur, idque ut appareat, conferri jubet Epid. I. 2. 40, ceteri tamen loci, in quibus occurrit nomen *trapezita*, repugnant, et in Epid. l. l. ita recitare licet:

Dic modo unde auférre me vis: a quó trapezitá peto.

Meilia et, ab eo quod formatum est, *meiliarios*, legitur in Inscr., ap. Or. 3308, quae facta esse videtur paulo post mortem Lucilii, circa a. u. 655; in eadem enim qui ita de se loquitur: „M. Aquilius. M. F. Gallus Procos. viam fecei. in Sicilia fugiteivos Italicorum conquaesivei" cet. haud dubie est ille M'Aquillius, cos. a. u. 653, qui bellum contra fugitivos in Sicilia finivit a. 655, et post legatus in Asiam missus, a. 664, a Mithridate crudelissime necatus est, a. 666. vid. Orell. Onom. Tull. h. n. *Meiles* et *meilites* reperiuntur in Inscr. anni 682, ap. Or. 3673. — Hiatum vocalium in v. 5 removere nolui, ne elisione literae *e* praeceptum Lucilii obscuraretur; neque igitur probavi emendationem a Scaligero factam, *addes* pro *addé*, quod Putsch. edidit. Eodem consilio Ter. Maurus, in Carmine de Syllab. hiatum admisit p. 2392. 17. 18. 19. 23 multisque aliis locis. Nec alias Lucilius concursum duarum vocalium, quarum prior in arsim incideret, magis videtur fugisse, quam Virgilius et alii, de q.

vid. Was. Senar. p. 32 sqq. Lucilii exemplum est ap. Non. s. v. Rica p. 539. D. II. 13

Hypodyti aurati, ricae, oraria, mitrae [9]).

Cui tria addo, in quibus hiatus efficiuntur eo, quod syllabae in *m* literam desinentes non eliduntur vocabulis sequentibus, quae in initio vel *h* literam vel vocalem habent: ap. Porphyr. in Hor. Sat. I. 3. 124. Dous. inc. 24.

Nondum etiam haec omnia habebit —
Formosus, dives, liber rex solu' vocetur [10]).

et ap. Non. s. v. Popinones. p. 161. D. I. 20:

---

9) Goth. Dous. *„ricini:"* alii aliter conjecerunt: vid. not. Dous.; Merc. *„hyodyti:"* hoc corruptum videtur ex *hypodyti*, graec. ὑποδύτης, i. e. subucula, tunicarum genus. Primam syllabam produxit Lucilius graeca exempla secutus: ἀπονέεσθαι, ἀθάνατος et simill. Masculino autem genere usus est et secunda declinatione, sicut in voce *charti*, a graeco χάρτης, ap. Non. v. *Chartam*, p. 196. D. XXVII. 10.

Nescís, ubi Graeci, ubi núnc Socratici chárti? quidquid quáeritis,
Perímus.

Aliter Horat. Art. poët. v. 310:

„Rem tibi Socráticae poterunt ostendere chartae;"

qui quamvis Luciliana illa meminisset, paruit tamen Varroni, ap. Charis, I. p. 80. P. p. 59. L. et ap. Prisc. VII. p. 759. P. p. 328. K. monenti, „talia ex graeco sumpta ex masculino in feminineum transire et aliter ea finiri ὁ κοχλίας haec cochlea, ὁ χάρτης haec charta, ὁ γαυσάπης haec gausapa." Hoc postremum Lucilius itidem posuit genere masculino et flexit ad legem tertiae declinationis: ap. Prisc. IX. p. 870. P. p. 465. K. D. XX. 9.

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

Quae eadem Horatius transtulit in Sat. II. 8. 11:

Gausape purpureo mensam pertersit cet.

ubi Heind. *gausape* pro neutro habet, sed rectius Schneid. l. l. II. p. 94. 219 masculinum putat cum Prisciano p. 759 „antiquissimi tamen et *hic gausapes*." Ceterum ut Graeci habebant γαυσάπης et γαύσαπος, unde Cassius Severus ap. Char. et Prisc. l. l. „gausapo purpureo salutatus:" ita fieri potuit, ut Lucilius praeter formas χάρτης et ὑποδύτης alteras nosset in *os* terminatas, unde latine diceret *charti* et *hypodyti*. Similiter Naevius in versu Saturnio ap. Varr. L. L. VII. p. 289 Sp. p. 119 O. M.

Hemísphaerium ubi cóncho cáeruló septúm stat

e graeco κόγχος finxit latinum *conchus*, quum ceteri ex κόγχη formarent *concha*. Et hanc quidem formam recepit Spengelius, indeque adjectivum scripsit *caerula:* at quum magna sit corruptissimarum lectionum varietas, omnes tamen in adjectivi terminatione exhibent *o* literam, qua mihi quidem videtur substantivi genus satis significatum esse. O. Muell. conjecit: *concavo*.

10) Dousa, patris monitu, sic emendavit:

— in mundo sapiens haec omnia habebit.

Et recte quidem illud suspicatus est, nomen *sapiens* obliteratum esse: nam Lucilium hic loqui de sapiente, qualem Stoici finxerunt, ex Horatii l. l. colligitur, ubi vid. Heind. nott.; hoc tamen minus probabiliter judicavit, verba *nondum etiam* „corruptissima" esse, iisdem enim ita conjunctis alii quoque usi sunt, velut Terent. Andr. I. 2. 30. Hec. V. 1. 19. Cic. Verr. IV. 28, 64. Ex Horatianis illis

Infamām, inhonestam, turpem odisse popinam [11]).

et ap. eund. l. supr. ad Fr. I. n. 2. c.

Virginis hoc pretiūm atque hunc reddamus honorem.

In v. 11 verbi *jacimus* ultima syllaba, quae est in arsi posita, productae vice fungitur, sicut factum videmus in versibus Lucilii ap. Non. v. Proprium. p. 362. D. XVII. 2.

Cetera contemnīt et in usura omnia ponit
Non magna: proprium vero nil neminem habere [12]).

et s. v. Evannetur p. 19. D. XI. 14.

Crissavīt ut si frumentum clunibu' vannat.

et s. v. Cedere. p. 250. D. XXX. 99.

— quandoque pudōr ex pectore cessit.

Neque igitur improbanda est Dousae emendatio versus Luciliani ap. Lactant. Div. Inst. IV. 3. D. I. 3:

---

si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex:
Cur optas quod habes?

Lucilii versus ita supplendos puto:

Nondum etiam haec omnia habebit, qui sapiens, si
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur?

Exemplis ex historia desumptis hunc locum illustrat Cicero Fin. III. 22. 75, 76. (Sapiens) „rectius appellabitur *rex*, quam Tarquinius —; rectius *dives*, quam Crassus —; recte *ejus omnia* dicentur (Lucil. *omnia habebit*) —; recte etiam *pulcher* (Lucil. *formosus*) —; recte *solus liber*. — Nec alio sensu ipse Lucilius videtur dixisse „sapiens vir solus," ap. Serv. ad Virg. Aen. IV. 458. D. inc. 55.

Concilio antiquo sapiens vir solu' fuisti.

11) Edd. *honestam:* sed certissima est conjectura H. Junii *inh.*, propter praecedentem literam *m*. Infam*am* autem pro eo, quad in plerisque edd. est, infam*em*, cum Mercero scripsi: similiter enim Lucilius a *barba* formavit *imberbus*, ap. Non. v. Imberbi p. 493. D. XXX. 19.

Imberbi androgyni, barbati moechocinaedi;

et *gracila* dixit pro *gracilis*, ap. eund. v. Gracila p. 489. D. VIII. 4.

Quod gracila est, pernix, similis quod pectore puero;

in quo versu edd. „quod pect. puero simil." Synaeresim in voce *puer* factam probant Was. l. l. p. 103 exemplis Plautinis, Schneid. gr. lat. I. p. 107 Ausoniano, in Comm. Profess. X. 16 „Credita puerities." Compara formas antiquas Marci*por*, Gai*por*, ap. Fest. v. Quinti*por:* et similia ap. Lucil., quae observavit Was. l. l., illo tamen omisso, quum satis haberet Dousae collectionem consuluisse, in qua ita legitur

— quod gracila est, pernix, quod pectore puro,
Quod puero similis.

12) Explicationem adjuvat versus Lucilii ap. Non. ibid. D. XXVII. 32.

Quúm sciam nihil ésse in vita próprium mortalí datum.

cf. Bentl. ad Ter. Hec. III. 3. 46.

Ut nemo sit nostrum, quin pater optimu' Divum,
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater, omnes dicantur ad unum [13]).

V. 4, 9, 10 apparet, Lucilium et breve et longum *i* eodem nomine appellare *tenue*, ab utroque autem pronuntiando distinguere *ei* vocalem: nam v. 5 et 11, ut *i* pinguius vel plenius fiat, *e* addi jubet. Errat igitur Quintilianus l. l. Lucilii rationem improbans „quia *i* tam longae quam brevis naturam habeat:" cf. Spald. not. exeg. Neque Vel. Long. l. l. plane idem exemplum affert, quod v. 9 Ter. Scaurus; quum ille habeat „pila in qua pinsatur," hic „pilum quo pinso:" haec tamen dissensio nullius momenti est, quum iidem hoc certe inter se consentiant, vocabula a *pinsendo* derivata Lucilium sola *i* longa scripsisse. Mirum profecto est, quod ex verbis „plura haec feceris" colligitur, Lucilium „peila quae jacimus" pro numero plurali habere vocis „pilum quo pinso," et, quo nomine imprimis reprehenditur a grammaticis, nativam ejusdem verbi vocalem aliam in plurali atque in singulari scribere. Accedit quod Mar. Victorin. l. l., ubi *pilum* militare ab antiquioribus quibusdam per *e* et *i* scriptum esse ait, nihil tradit de discrimine numerorum. Nihilominus arbitror, Lucilii versus a Scauro recte servatos esse: nam Victorinus, etiamsi praeceptum Lucilii animo tenuerit, hoc tamen in loco videtur id modo notare voluisse, illum vocalium scriptura distinxisse verba quaedam notione inter se diversa. Ac, me quidem judice, rectissime Schneid. l. l. p. 64 consilium rationemque Lucilii explicat, quem negat suo ipsius arbitrio potuisse committere, ut in aliis vocibus *ei* diphthongum, in aliis *i*

---

13) Lactant.: „omnem deum, qui ab homine colitur, necesse est inter solemnes ritus et precationes patrem nuncupari" cet. Vulg. leg. in v. 3. „nomen dicatur." — Sunt qui pronuntiationem *r* literae ad producendam vocalem antecedentem valere putent: cf. Was. l. l. p. 55, et Ling. quaest. Plautin. p. 46 sqq. Quos Schneid. l. l. I. p. 665 facile refutavit, hic quidem in exemplis ab iis allatis productionem potius arsi quam *r* litera effectam esse arbitratus. Ac rectius, puto, afferuntur ejusmodi exempla, quae syllabam natura brevem in thesi habeant pro longa collocatam, veluti Lucilii quae sunt ap. Non. v. Tolutim p. 4. D. inc. 51:

Velle tolutim hic semper incessuru' videtur

(„velle incessurus" (*μέλλειν βαδιεῖσθαι*,) qua futuri temporis circumlocutione apte depingit conatus equi tardi vel defatigati, qui frustra ad currendum incitatur.)

Et ibid. s. v. Interfici. p. 449. D. inc. 50:

Intereunt, labuntur, euntur omnia versum:

(cf. Catonis illud ap. Gell. X. 14 „contumelia mihi factum itur")

nisi forte priorem versum cum Dousa ita mavis legere: „V. t. semper hic i. v.," alterum autem eadem lege compositum dicis, qua Ennianum illum ap. Cic. de Div. I. 48., Enn. Ann. I. 100. E. S.

Omnis cura viris uter esset induperator;

cujus licentiae excusationem Hermannus, El. D. M. p. 40, inde petit, quod versus heroicus in thesi pedis quarti „insignem caesuram longioremque pausam recipiat."

longam poni juberet: nihil illi propositum fuisse, nisi ut praeceptis caveret, ne vocalium soni, sermone dudum usitati, scribendo ab imperitis confunderentur. Consentaneum est igitur, Lucilii aetate *pilum militare* aliter pronuntiatum esse ac *pilum pistorium*: quod quidem in pronuntiando discrimen fortasse ab ipsa origine utriusque nominis repetendum est. *Pilum* enim, *quo milites utuntur*, Doederl. Syn. VI. p. 269 probabiliter ducit a *πῆλαι* (lat. *pellere*), apteque comparat nostr. *Pfeil*: *pilum pistorium*, ut ipse Lucilius et plerique omnes, a *pinsendo*, tanquam contractum ex voc. *pisulum*. In primitivis autem vel antiquioribus verborum formis quae *e* vel *a* vel *o* vocales longae erant, ex his illa *ei* plenior videtur nata esse. Ita in Inscriptt. l*ei*beri, l*ei*bertate, Orell. 3031. 3673, a vetustissimis l*oe*besum, l*oe*bertas, ap. Fest. h. v.; pr*ei*mus, 3673, ex pr*oi*mus vel pr*oe*mus, Doederl. VI. p. 284; *ei*tur, 3892, de quo Ter. Maur. p. 2393 „*Ei*tur in sylvam, necesse est *e* et *i* connectere; Principali namque verbo nascitur, quod est *eo*;“ sequ*oi*, 3121, i. q. sequi, inf., idemque modus ut*ei*, 2488; c*ei*ves, c*ei*vitates, 626. 3073, sive a *coeundo*, Isidor. IX. 4. init., sive a *ceus*, quod est in tab. Bant., de q. Doederl. V. p. 98. 5; et alia, quorum stirpes in graecis cognoscuntur: v*ei*cus, 2488, i. e. *οἶκος*, Doed. VI. p. 402; v*ei*ginti, 3031, i. e. *εἴκατι*, Doed. VI. p. 404; d*ei*xistis, d*ei*xserint, d*ei*cunto, 3114. 3673, *δεῖξαι*, Doed. VI. p. 101. Eademque causa fuit, quare Lucilius nominativum plur. secundae declin. *ei* vocali terminatum vellet: hic enim casus apud antiquos in fine sonabat *oe* et *e*: vid. Schneid. gr. l. II. p. 67, qui citat pilumn*oe* poplo*e*, fescin*oe* ex Fest. h. vv.; ploirum*e* ex Monum. Scip. ap. Or. 552. Item in dativis et ablatt. plur. *ei* in locum vetustioris *oe* successit, cujus exempla tradidit Fest. s. v. ab *oloes*, i. e. illis, et *privivio es*, ubi Scal. conj. priv*oes*, i. e. privis, Ursin. et O. Muell. privicl*oes*, i. e. priviculis; Lind. privol*oes*, i. e. privulis. — Grammaticorum tempore illorum, qui Lucilii praecepta commemorant, plenior ille *i* literae sonus, qui *ei* signo exprimebatur, e sermone evanuerat: eosdem igitur hoc signum supervacaneum existimasse, non est mirandum. Nigidius vero, a Luciliana aetate proximus, consentiens cum Lucilio, ap. Gell. lib. XIII. 25. „Si *hujus amici*, inquit, vel *hujus magni* scribas, unum *i* facito extremum: sin vero *hi magnei*, *hi amicei*, casu recto, tum ante *i* scribendum erit *e*, atque id ipsum facies in similibus.“ De dativis tertiae declin., a Lucilio in *ei* terminatis, vid. Schn. II. p. 204.

XIV.

Nonius s. v. Poësis et Poëma. p. 428. ed. Merc. (rep. Lips. 1826). D. IX. 16.

„Poësis et Poëma hanc habent distantiam: poësis est textus scriptorum: poëma inventio parva, quae paucis verbis expeditur. Lucil. Sat. lib. IX. [14]).

Nunc haec quid valeat, quidve huic intersiet illud,
Cognosces: primum hoc quod dicimus esse poëma:
Pars est parva poëma: epigramma, item epistola quaevis.
Cujusvis operis pars est non magna poëma.
5. Illa poësis opus totum, ut tota Ilias una
Est θέσις, Annalesque Enni, atque istuc opus unum
Est majus multo, quam quod dixi ante poëma.
Quapropter dico, nemo qui culpat Homerum,
Perpetuo culpat, neque, quod dixi ante, poësin;
10. Versum unum culpat, verbum, ἐνθύμημα malignum."

v. 1 *Nunc* scripsi cum Dousa: edd. habent *non*. — *haec*, scil. poësis, recepi ex Jun. Merc. 1. 2. Goth., acc. Dousa; Ven. et Med. *hoc*. — *quid* exhibent plerique; *quod* Ven. Med. corrupt. — *huic intersiet* Dous.; *hoc intersiet* Jun. Merc. 1. 2. Goth.; *intersit hoc et* Ven. Med. Probavi Dousae emendationem, collato loco Terent. Eun. II. 2. 1 „stulto intelligens quid interest?" quamquam licuit Lucilio, explicanti notionem vocabuli *poësis*, neutro genere pronominis uti, et dicere: „Nunc hoc quid valeat, quidve hoc intersit et illud," simili constructione verbi *interesse*, quam adhibuit Terent. Ad. I. 1. 51 „hoc pater ac dominus interest:" verumtamen hoc loco eum genus grammaticum, quod vocatur, voluisse servare, apparet v. 5 verbis „illa poësis." — v. 2 *cognosces* Dous. recte, nam futuro tempore Lucilius in praecipiendo usus est Fr. I. 3. XIII. 6. 11.; Merc. 2 *cognosci*; cett. edd. *cognoscis*. — *dicimus* edd. pler.; *diximus* Ven. Med. — v. 3 de conjectura inserui *epigramma*, quod etiam Varro, ap. Non. h. l., inter poëmata rettulit „Poëma, inquiens, est λέξις ἔνρυθμος,

14) Edd. Ven. (Venet. 1476) et Med. (Mediolan. 1510) Nonii verba ita exhibent: „Poësis et poëma differunt. Poësis textus scriptoris, ut Odyssea vel Ilias Homeri, aut Aeneis Virgilii. Poëma inventio parva quae paucis verbis exprimitur: ut in gladiatoribus (sic Ven. *gladiatoriis* Med.) ludis Homeri. Poëtica est ars earum rerum. Luc. in XI." Secutus sum consentientes edd. Hadr. Junii (Paris. 1565), Mercerianam priorem (Paris. 1583), Gothofredi (ap. Vign. Genev. 1622), Mercer. alteram (Par. 1614, rep. Lips. 1826, quam citare soleo).

id est, verba plura modice in quandam conjecta formam. Itaque etiam *δίστιχον ἐπιγραμμάτιον* vocant poëma." Dous. conj. *proinde ut ep. quaevis*; Ven. Med. *idem in epistola itemque vis*; Jun. Merc. 1. 2. Goth. *idem epistola item quaevis.* — v. 4. *Cujusvis operis pars*: haec conj. Dousa, nec temere, nam ut v. 5 *poësis* vocatur opus totum, ita *poëma* nunc apte dici potest *pars operis.* — v. 5 *ut tota Ilias una*: haec quoque Dousa probabili emendatione effecit ex illis, quae in edd. sunt, *totaque illa summa est una*: quum enim in v. 8 et sqq. de Homero sit sermo, Iliadem ejus hic una cum Ennii Annalibus commemorari admodum verisimile est. Accedit quod Varro ap. Non. h. l., exponens quid sit *poësis*, eadem carmina appellat: „Poësis est perpetuum argumentum ex rhythmis, ut Ilias Homeri et Annales Ennii." Quod Lucilio *una θέσις*, idem Varroni est *perpetuum argumentum.* Donatus, de Trag. et Com. p. 27. in Ter. ed. Lindenbr., totum volumen carminum Lucilianorum *poësin* appellat, idque ipso Lucilio auctore ipsisque ejus verbis facere videtur, ita enim scribit: „aliud genus fabulae, id est, Satyrae sumpsit exordium — quod primo Lucilius uno conscripsit modo, ut *poësin* inde faceret, id est, unius carminis plures libros." — Vers. 6 et reliqui in edd. Ven. et Med. non reperiuntur; Jun. Merc. 1. Goth. *at quaestus unum*; Merc. 2 *atquestoc unum*; Dous. *atque istoc opus unum.* — v. 10 Jun. Merc. 1. Goth. *versum unum culpat verbum enthymemate malo cum*; Merc. 2 *inversum unum culpat verbum enthymemati malo cum*; Jun. in marg. *verum enthymema malignum*; acced. Dous.; retinui *verbum. ἐνθύμημα* i. q. *commentum* cf. Quint. IX. 3. 107. *malignum*, contractum ex maligenum, significatione haud vulgari. Similiter formatum est Lucilii illud *aprignum*, ap. Char. I. p. 63. P. 46. L. cf. O. Mueller. ad Fest. v. *bignae*: „id est bigenae, eadem syncope, quae est in mali-gnus et privi-gnus."

Epistolae poëticae, quas Lucilius memorat, tales fere erant, quales Cicero cognorat Spurii Mummii, fratris Achaici, legati ad Corinthum circa a. u. 608; de quibus in Ep. ad Att. XIII. 6. 4. haec scripsit: „Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo: saepe enim hic Spurius, qui nuper est mortuus (ut Orellio in Onom. Tull. h. v. videtur, nepos antiquioris illius Sp. Mummii,) *epistolas* mihi pronuntiabat *versiculis facetis* ad familiares missas a Corintho." Nec dubito, quin Lucilius sua quoque carmina significaverit; nonnullos enim libros epistolarum instar amicis dedicasse videtur, sicut L. Aelio Stiloni Praeconino „priorem librum:" vid. supr. not. 1. Teste Prisciano III. p. 601. P. 108. Kr. Dous. XIV. 5. librum quartum decimum *ad Fundium* inscripsit, quem sic alloquitur:

Fundi, delectat virtus te, villicu' paulo
Strenuior si evaseris [15]).

Ad villicum suum etiam Horatius dedit Epist. I. 14: huic igitur in Satiris Lucilianis non solum Sermonum, sed etiam Epistolarum exempla proposita erant. Cf. Heinrich. Comment. in Iuven. Sat. VIII. init. — In libro XXVII Lucilius ipsum populum salutat: ap. Non. enim s. v. Fingere p. 308. Sedulum et Impertire p. 37. D. XXVII. 4, haec leguntur:

Itém populum salúte et fictis vérsibus Lucílius
Quibús potest, impértit, totumque hóc studiose et sédulo.

Similemque salutandi formulam reperimus in libro XXVIII, ap. Non. v. Impertit, p. 472. D. XXVIII. 7.

Sóspitat impertít salute plúrima et plenissima.

Librum XXX, epistolae modo conceptum, in Cajum Caelium, hominem sibi inimicum, videtur edidisse: de quo Auct. ad Her. II. 13, 19: „C. Caelius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poëtam in scena nominatim laeserat.“ Nomen enim ejusdem hominis Lucilius appellat ap. Non. v. Incilare. p. 125. D. XXX. 30:

Nunc, Cai, quoniam incilans nos laedi', vicissim

atque, ut Donsae, XXX. 57, videtur, ap. eund. v. Invadere. p. 323:

Ut semel in Caeli pugnos te invadere vidi.

Epistolae autem in eodem libro quum alia tum maxime haec sunt accommodata: ap. Non. Experiri p. 296. D. XXX. 33.

Summatim tamen experiar rescribere paucis;

et s. v. Contentus. p. 263. D. XXX. 59

His te versibus interea contentu' teneto

(Liv. II. 32 „quieti — sese tenuerunt“).

Etiam in libro V sunt, quae epistolam prodant, sicut illa ap. Non. v. Mactare p. 341. D. V. 16:

Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto!

et ap. Gell. XVIII. 8. D. V. 1:

---

15) Kr. *evaseris;* Putsch. *evaserit.* Libri numerum, quem uterque posuit XVI, rectius servatum puto in Cod. Heidelb. XIV: nam, ut refert Porph. ad Hor. Carm. I. 22. 10 „liber Lucilii decimus sextus *Collyra* inscribitur.“ Cf. not. 1.

Quo me habeam pacto, tametsi non quaeri', docebo:
Quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est
Pars hominum, ut periisse velis, quem visere nolueris, cum debueris; hoc *nolue-* et *debueris* te
5. Si minu' delectat, quod *τεχνίον* Isocratium est,
*Ληρῶδες*que simul totum ac *συμμειρακιῶδες*:
Non operam perdo. Si tu hic [16]).

Ap. Non. v. *Ferre*, i. q. laudare. p. 303. D. XXX. 29, scripta sua ipse appellat eo nomine, quod supra explicuit:

Et sola ex multis nunc nostra *poëmata* ferri.

Quae versu 8 et sqq. dicit, haec eo consilio videtur monere, ne ipse de antiquioribus poëtis disputans perperam intelligatur, neve de summa potius operum, quam de singulis locis judicium censuramque fecisse existimetur. Saepe enim Lucilius et Graecorum et Romanorum carmina severius examinavit. Qua de re notissimi extant Horatii versus, Sat. I. 10. 53. (cf. ad Fragm. I. extr.)

Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet versus Enni gravitate minores?
Cum de se loquitur, non ut majore reprensis?

Eodem nomine Lucilii mentionem facit Gell. XXVII. 21. 49: „Neque magno inter-

---

16) De mensura vocis *tametsi* cf. Schn. I. p. 741; et Lucil. ap. Non. v. Ferre p. 303. D. XXIX. 39:

Collígere auxilium tametsi est indigna út feram.

Simili ratione pronuntiandum est *quamobrem*, ap. eund. v. Dare p. 279. D. XXVIII. 28:

Persuáde et transi, vél da quamobrem tránseas.

De tmesi, quae est in verbo *nolueris* v. 3 et 4, a Lucilio frequentata vid. Schol. Porph. ad Hor. Ep. II. 2, 93 „*circum-Spectemus*, una pars orationis, divisa in duos versus, Lucilii more antiquo:“ et Auson., qui ita scripsit in Ep. V. 35 sqq.

Invenies praesto subjuncta petorita mulis,
Villa *Lucani-* mox potieris- *aco*.
Rescisso disces componere nomine versum,
Lucili vatis sic imitator eris.

Leviora ejusdem licentiae exempla haec sunt: ap. Non. v. Dicare. p. 287. D. XXX. 72:

Juratam se uni, cui sit data *de*que *dicata:*

et ap. eund. v. Illuvies p. 125. v. Petigo p. 160. D. XX. 6:

Illuvies, scabies oculos huic, *de*que *petigo*
Conscendere.

et v. Pecus p. 159. D. V. 18. cf. Burm. ad Ovid. Fast. III. 754:

Lascivire pecus simum *rostri*que *repandum:*

quem versum Lucilius conflavit ex verbis Livii Andron. ap. Non. h. l. „lascivum Nerei simum pecus,“ et Pacuvii ap. Quint. I. 5, 67: „Nerëi Repandirostrum, incurvicervicum pecus.“

vallo postea Q. Ennius et juxta Caecilius et Terentius ac subinde Pacuvius, et Pacuvio jam sene Attius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit." J. Lydus de Mag. Rom. I. 41 Lucilium putat imitatorem Rhinthonis, hilarotragoedi Tarentini: *Ῥίνθων*, inquit, *ἑξαμέτροις ἔγραφε τὴν κωμῳδίαν. ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησεν. μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικοὺς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλῶσαντες.* Quae disputatio quamvis nonnulla habeat improbabilia, hoc tamen veri inest in comparatione Rhinthonis et Lucilii, utrumque et hexametris in leviori poësis genere usum esse, et quasi *παρῳδὸν* egisse tragicorum poëtarum. cf. Lang. Vindic. trag. Rom. p. 34. Comoedias vero neque Rhinthonis haec carmina, neque Lucilii Satiras appellare licet; atque errore factum esse, ut Lucilio comoediae tribuerentur, ostendit Dousa, in Annot. p. 186 ed. Hav. cf. Duentzer. in Quaest. de Liv. Andron. (Zeitschr. f. Alterthumsw. V. n. 148). Ad Cratini et Eupolidis imitationem Satiras Romanas conscriptas esse, Lydus existimavit secundum Horat. Sat. I. 4. init. „Eupolis atque Cratinus Aristoph." cet. Ita etiam Diomedes p. 482. P. censuit: „*Satira* dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia *archaeae Comoediae charactere* compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius." Nec vero ideo tantum, quod cives malos sibique inimicos castigaret, de q. vid. ad Fr. III, Lucilius videbatur Aristophanis aliorumque „quorum comoedia prisca est," vestigia secutus esse: sed ita etiam imitatorem illorum se praestitit, ut Euripidem tragicum, maxime omnium a comicis vexatum, carperet. Nam ap. Gell. VII. 3. 28 sqq Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus „Recte, inquit, hoc vitio dat Lucilius poëtae Euripidae, quod quum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece ejus consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce eum verbis eluserit:

Εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῂς, κτείνειν πόσις,
Χρῆν' καὶ σὲ μέλλειν, ἕως χρόνος δῆθεν παρῆν.

At hoc enim, inquit, plane stultitiae plenum est, eo consilio atque ea fini facere velle aliquid, uti nunquam id facias, quod velis." Haec postrema Tironis verba sunt, referentis tamen illius, ut arbitror, Lucilii argumentationem. Cf. Valcken. Diatr. c. XVIII. p. 183. — Jam vero ipsum audiamus Lucilium, ac primum quidem de Homero: ap. Non. s. v. Corbita. p. 533. D. XV. 1:

Multa homines portenta in Homeri versificata
Monstra putant, quorum in primis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes, et porro huic maju' bacillum,
Quam malus navi in corbita maximus ulla.

(*In Homeri*, ut Cic. ad. Att. XII. 23. 2 „ex Apollodori.“ De voc. *corbita* cf. Doederl. Syn. VI. p. 81.) Locus Homeri, quem respexit Lucilius, est in Odyss. ι, 187 sqq. ubi Polyphemus describitur. Hic enim quum v. 190 vocatus esset *θαῦμα πελώριον*, Lucilius dixit „*portenta monstra.*“ Magnitudinem Cyclopis Homerus similitudine depinxit v. 190 sqq.

οὐδὲ ἐοῖκει
ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
ὑψηλῶν ὀρέων, ὅτε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων.

Lucilius eam ad pedum numerum rettulit: versus autem 322, 23, in quibus est clavae cum malo comparatio:

ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης,
φορτίδος, εὐρείης κ. τ. ἀ.

reddidit his verbis: „*maju' bacillum*“ etc. Quae translatio nihil abest ab irrisione. Cf. ad Fr. XV.

Ennii versum reprehendit, teste Servio ad Virg. Aen. XI. 601, cujus haec sunt verba: „est autem versus Ennianus vituperatus a Lucilio, dicente per irrisionem, eum debuisse dicere

— horret et alget.

Unde Horatius de Lucilio: Non ridet“ etc.

Integrum Ennii versum servavit Macrob. Sat. VI. c. 4. p. 386. ed. Gron. „Ennius in Scipione:

Sparsis hastis longis campus splendet et horret.“

Horret Ennius eodem sensu dixit, quo Homerus *φρίσσειν*: Il. δ, 282. η, 62. ν, 339. cf. Enn. Ann. XIV. 13. E. S.; Enn. Erechth. in Both. Fr. trag. p. 41. Nec horrendi verbum improbavit Lucilius, sed conjuncta *splendet* et *horret*, quod in splendendo inesset ardoris notio, in horrendo vero frigoris: hinc „per irrisionem,“ ut ait Servius, pro *splendet* proposuit *alget*. — Virgilius, A. XI. 601, ne in eandem reprehensionem incurreret, novam addidit imaginem, qua *ardere* ab *horrere* disjungeretur; dixit enim:

tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.

Quibus Servius apte comparavit Eurip. Phoen. 110. cf. Valck. h. l. Nec neglexisse Virgilium emendationes, quas Lucilius, tanquam criticum agens, in Ennianis fecit, etiam alio loco apparet, Aen. XII. 115 „lucemque elatis naribus efflant.“ Servius enim h. l. annotavit: „Ennianus versus est ordine commutato; ille enim ait: *funduntque elatis naribus lucem.*“ At Mar. Victorin. p. 2472. P. (D. inc. 111) ex Lucilio citavit:

— efflantque elatis naribu' lucem.

Itaque Lucilius Graecorum (πῦρ) πνέειν vertere maluit *efflare*, quam, quod Ennio placuit, *effundere:* Virgilius autem secutus est Lucilium.

Apud Non. v. Spargere p. 404 (D. XIX. 7) reperitur Lucilii hic versus:

Látere pendens, sáxa spargens tábo, sanie et sánguine atro:

eundem Cicero Tusc. I. 44. 107 ex Ennii Thyeste affert, praemisso altero:

Ipse summis sáxis fixus ásperis, evísceratus.

Merc. nott. p. 757 omissa putat et Tragici nomen et Lucilii exemplum, sed probabilior est Columnae et Dousae opinio, Ennii locum a Lucilio in sua carmina insertum esse. Exsecratur his versibus Thyestes, ut naufragio pereat Atreus: et Cicero inanem appellat ejusmodi exsecrátionem, quod ipsa saxa non magis omni sensu vacent, quam ille *latere pendens*, cui se hic cruciatum censeat optare. Quid, si Lucilius simili ratione philosophatus, Ennii haec dicta eandem ob causam illusit? Saepius nimirum philosophorum more non solum vitia castigat vulgi, sed superstitionem etiam atque errores tollere conatur. Quo quidem consilio scripsit illa ap. Lactant. D. Inst. I. 22. D. XX. I.

„Terricolas Lamias, Fauni quas, Pompiliique" etc.

Pacuvium notat versu, quem servavit Non. v. Exordium. p. 30. D. XXIX. 63.

Verúm tristis contórto aliquo Pacúviano exórdio.

Nec mirum est, Pacuvii versus Lucilio displicuisse; Varrone enim judice, ap. Gell. VII. 14, 6. dicendi genere Pacuvius et Lucilius ita inter se distabant, ut ille ubertatis, hic gracilitatis exemplum esset. Nisi fallor, Lucilius hic de Chryse, tragoedia Pacuvii, agit, nam ex eodem libro Lucilii Non. s. v. Signatam. p. 171. D. XXIX. 67 haec affert:

— primum Chrýsae cum negát signatam réddere.

Si vera est Nonii interpretatio: „signatam integram virginem vetustas voluit dicere," Pacuvium ob id ipsum crediderim a Lucilio vituperatum esse, quod rem addidisset, ab Homero praetermissam. cf. Il. α, 29 sqq. Indidem ex Chryse Pacuvii Lucilius sumpsit illa ap. Non. v. Averruncare. D. XXVI. 71.

Di mónerint meliora átque amentiam áverruncassínt tuam.

cf. Both. Fr. tr. p. 112.

Etiam *Vectium Titinium* a Lucilio reprehensum esse, Quintil. tradit, I. 5, 56: „Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam, ut eorum sermone utentem, Vectium Lucilius insectatur." Cujus reprehensionis vestigium fortasse illud est, quod Dousa XXIII. 3 in glossario Fornerii invenit: „*tongere* εἴδειν. Ennius in XVIII. Lucilius in XXIII." De quo Paul. in Exc. Fest. h. v.: „*Tongere* nosse est: nam Praenestini tongitionem dicunt notionem." cf. O. Muellep annot. in Fest. p. 357.

XV.

Schol. Porph. ad Hor. Sat. I. 9. 78. D. IX. 30.

— ut discrepat hac: quem — rapuit Apollo.

Porph. „Hoc de sensu Homerico sumpsit *τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων*. Quem et Lucilius in Sat. IX repraesentavit, sic dicens: Ut discrepat hac quem rapuit Apollo fiat ergo, significat sic liberatum se" etc.

Homeri verba sunt Il. *υ*. 443:

τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων
ῥεῖα μάλ', ὥστε θεός, ἐκάλυψε δ' ἀρ' ἠέρι πολλῇ.

Quibus in versu Luciliano tantummodo haec respondent: „quem rapuit Apollo:" postrema illa *fiat ergo* corrupta sunt atque praerepta ex scholiastae verbis, quem ita scripsisse suspicor: „Significat ergo sic" cet.

Rapuit producta penultima pronuntiandum est, ut *lūit*, ap. Non. v. Nefantia p. 489. D. III. 28. (cf. Goth. Not. p. 1895. Was. Sen. XI. p. 143):

labosas
Tantalu' qui poenas ob facta nefantia lūit;

et *volūeris*, ap. eund. v. Captare p. 275. D. XXVII. 16:

Quodsí paulisper cáptare atque obsérvare haec volúeris;

et *adfūissemus* sive *adfuviss*. ap. Iul. Rufinian. de Fig. sent. eloc. I. 31. ed. Gesn. D. I. 2, ex emendatione J. Dousae:

Vellem concilio vestrum, quod dicitis, olim
Coelicolae; vellem, inquam, adfuvissemu' priore
Concilio.

Ita Ennius ap. Cic. de Or. III. 42 extr. dixit:

Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini;

et alias *genuvit, cluvit, adnuvit, exaruvit*. cf. E. S. ad Enn. Ann. I. 28.

In Mon. Scip. ap. Or. 550 *fūit* trochaeum esse, censuit O. Mueller, in Suppl. ann. in Fest. p. 397. Nec adversabor, si quis *rapuvit* scribendum existimaverit vel *rapivit*, cujus formae similes sunt ap. Plaut. Asin. III. 1. 16. Pseud. V. 1. 35, alias; et *sapivi* in Naevii versu ap. Non. h. v. p. 508. Prisc. p. 879; et *posivi* in Inscr. Or. 3308; et, ut Scaligero visum est, in *Lucilii* fr. ap. Non. v. Ergastulus, p. 447. D. XV. 8 *opposivit*.

De sententia si ex significatione verbi *discrepat* conjecturam facere licet, Lucilium dixerim hic quoque judicium pronuntiare de narratione Homeri l. l. Achilles

enim et Hector magno impetu concurrunt, utrique vero deus mirabili modo patrocinatur, Achilli Minerva (ἦκα μάλα ψύξασα v. 440), Hectori Apollo; et certamen praeter exspectationem finitur. Omnino res narrantur ejusmodi, quae Satirico jocandi materiam praebeant.

XVI.

Charis. I. p. 86. P. p. 63 L. D. IX. 12.

Nam veluti intro aliud longe esse atque intu' videmus,
Sic et apud se longe alid est, neque idem valet ad se:
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

Charís. ed. L. „Intro est in locum; intus in loco dicimus, ut etiam apud Graecos εἴσω, εἴσω (L. conj. ἐντός) καὶ ἔνδον; ideoque Lucilius ait:

Nam veluti intro aliud longe esse atque intus videmus,
Sic apud se longe aliud esse neque eadem valet at te:
Intro nos vocat at sese [tenet intus apud se]."

Haec Lindem. in textu Charisii posuit: in nott. sic dixit: „Hanc Cod. lectionem licet corruptam servavi, relictis etiam, quae Putschius sub finem ex emendatione Dousae in loco obliterato dederat, sed his uncis inclusis." Dousa locum ita emendavit:

Nam velut intro aliud longe esse atque intu' videmus:
Sic et apud te, longe alid est, neque idem valet ad te:
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

Ad quae annotavit: „et hos absolutissimos et elegantissimos versus, ut multas alias hujus poëtae reliquias, debemus veteris codicis Charisii benignitati; quos tamen Pater pro judicio suo refinxit, eorum vix aliqua vestigia in vulgatis comparent. Ad hunc autem librum pertinuisse, res ipsa indicio est nobis." Utcunque de codice Dousano existimabimus, (cf. ad Fr. XII), a J. Dousa in refingendis his Lucilii reliquiis operam haud infeliciter locatam esse, non poterimus, quin fateamur. Neque igitur omittere volui, quae ille in fine versus tertii legenda esse conjecit et Putschio quoque suasit: praesertim quum Edd. pr. et Fabr. verbum *tenet* exhibeant, et ea, quae praeterea ad replendam sententiam requiruntur, ex praemissis erui facillime possint. — V. 2 cum Dousa scripsi *alid*: verisimile est enim, *alis* et *alid* scribenda esse, ubicunque antiquiores poëtae has voces bisyllabas efferri voluerint. Ita faciendum esse censuit Bentlej. in Ter. Heaut. II. 2. 90 „Quid alid tibi vis?" et alii ap. Lucret. et ap. Catull. (66, 28). Eandemque formam memorant Char. II p. 133. Diomed. I. p. 323. Prisc. XIII. p. 959; et in Inscr. a. u. 696, Or. 2488, reperitur *alis*, ora-

tione soluta. — Cum Lucilio consentit Quintil. I. 5. 50, qui de significatione vocabulorum *intro* et *intus* disserens „*Eo* tamen *intus*, inquit, et *Intro sum*, soloecismi sunt:“ Spaldingio videtur Quintilianus haec ex Lucilii praeceptis hausisse. Soloecismum etiam Donatus, Art. gr. p. 1769. P., notat in his: *apud amicum eo* pro *ad amicum;* et *intro sum* pro *intus sum.* Quem eundem suspicor Lucilii locum in animo habuisse. Nec improbabile est, Lucilium ipso nomine *soloecismi* (vel *soloeci,* secundum Gell. V. 20. 6) hoc in loco usum esse, nam Isid. Orig. I. 22.: „Lucilius, inquit, *centum genera soloecismorum* dixit.“ — Spald. l. c. negat, hoc praeceptum usu confirmari, „quum etiam in movendi significatione *intus* usurpent non contemnendi scriptores:“ vide tamen Handii Turs. v. Intro, t. III. p. 442; v. Intus, ib. p. 445 et p. 448; v. Apud. t. I. p. 416.

XVII.

Char. I. p. 81. P. p. 59 Lind. Prisc. III. p. 618 P. p. 138 Kr. Non. s. v. Panus p. 149. D. VIII. 13:

Intu' modo stet rectu', foris subtemini' panust [17]).

17) In Lucilii versibus innumera exempla sunt *s* literae in finibus syllabarum brevium *is* et *us* detractae: et plerique veterum, qui de hoc usu exponunt, Luciliana allegant. Ita Cicero, Or. 48. 161, improbans illam *s* literae detractionem, hunc affert hexametrum dimidium: „vita illa dignu' locoque,“ quem integrum reperimus ap. eund. Tusc. II. 41, et una cum aliis ap. Non. v. Spurcum p. 393. Componere p. 257. D. IV. 10:

Aeserninu' fuit, Flaccorum munere quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque:
Cum Pacidejano componitur, optimu' multo
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Vid. Cic. Opt. gen. or. 6. 17; Epist. ad Quint. III. 4. 2; et infr. ad Fr. XXXI. Etiam Quintilianus IX, 4. 38, Cicerone auctore, ex hoc Lucilii loco nonnulla citat: „neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit *Aeserninus fuit* et *dignus locoque,* et Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos.“ *Aeserninus* enim scribendum videtur pro eo, quod Spalding. edidit, *serenus:* nec deest in codd. verae lectionis vestigium, quum, teste Spaldingio, in Turic. et Flor. priore manu exaratum legatur *serinus.* Quod genus lectionum ad restituendum Quintiliani textum summo momento esse, edocuit me Bonnellus, Vir de Quintiliano optime meritus, cui hanc emendationem probavi. — Cf. Maxim. Vict. p. 1963. Mar. Vict. p. 2472. — Apostropho usus sum, licet antiqui vel nullum omissionis signum posuerint, sicut in monumentis prosa oratione inscriptis, ap. Schneid. I. p. 351; II. p. 142 „Cornelio, Liciniu, Jovi“ cet., vel *s* literam lectori reliquerint supprimendam, id quod factum est in Inscr. ap. Or. 2277, ubi trium hexametrorum hi sunt exitus: „deditus fato, traditus morti, maeroribus matrem.“ Nec non et graecam terminationem *os* Lucilius eadem detractione affecit, ap. Cic. de Or. III. 43, 171:

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Atque interdum etiam, quemadmodum Plautus et Terentius et, quamvis id neget Schn. I. p. 164, Lucretius quoque, e. c. II, 829, fecerunt, *us* syllabam cum sequenti *est* contraxit. In Inscr. ap. Or. 3121, quae facta est Lucilii aetate, a. u. 637, extat forma *vocitatust:* hinc supra scripsi

Charis. ed. L. „Panniculae πρωτότυπον panus est. Lucilius in VIII (Putsch., Ed. pr., Fabr. exhibent IV) *Subteminis panus.*" Prisc.: „Lucilius in IX. *Intus modo stet rectus subteminis panus.*" Non: „Panus, tramae involucrum, quem diminutive panuclam vocamus. Lucil. lib. IX. — *Foris subteminis panus est.*" Ita Merc. 2.; eademque in cett. edd. leguntur, praeterquam quod eae *subtegm.* habent pro *subtem.* — Videtur de opere textili agi: *subtemen* enim, i. q. subteximen, ut Forc. h. v. explicat, „filum molle et parum tortum, quod transversum in tela sub stamine texitur." *Panus* autem, i. q. graec. πῆνος et πηνίον, secundum G. Schneid., Scriptt. R. R. Ind. p. 366. b „filum subteminis fuso involutum, qui inter decussata tramae fila huc illuc commeat et filum immittit." Nec verba illa „stet rectus" non quadrant ad notionem *staminis*, de quo Varro L. L. V. p. 117. Sp. „Stamen a stando, quod eo stat omne in tela velamentum;" et G. Schneid. l. l. p. 365. b: „Stamen et στήμων dicitur, quod in telae perpendicularis jugo suspensum stat erectum." Denique *intus* et *foris*, quae saepius inter se opponi, exemplis docuit Hand. l. l. v. Foris. t. II. p. 709. 5, ita conveniunt texturae descriptioni, ut *intus* ad *stamina* et *foris* ad *subteminis panum* referre liceat; nam in superficie sive exteriore parte textilium minus comparent *stamina*, quam *subteminis fila*, quae molliora sunt et crassiora et a fullonibus so-

---

panust, eandemque normam secutus sum in Fr. XX. et in his Lucilii versibus, ap. Non. v. Spurcum. p. 394. D. XI. 4:

Praetor noster adhuc quam spurcust ore, quod omnes
Extra castra, ut stercu', foras ejecit ad unum;

ubi Merc. et Goth. *spurcus est*, Dous. conj. *spurco est ore.* Ap. Prisc. VIII. p. 791. P. p. 368. Kr.:

— a me auxiliatust.

Putsch. et Dous. *auxiliatus si est.* Kr. *auxiliatus est*, et in nott: „Vulgo post *auxiliatus* ponitur *si*. Omittunt plerique Codd. et Edd. Ven." Etiam — *es* et *est* aliquando apud Lucilium in unam syllabam coiisse, documento est distichon ejus ap. Donat. in Ter. Phorm. II. 1. 57 et Martial. XI. 90. D. XXII. 2:

Servu' neque infidus domino neque inutili' quoiquam,
Luceili columella heic situ' Metrophanest.

Ita Schneider. I. 348. not. postremam vocem scribendam censet: Weber. mavult Metrophanes'st. — Varges. in Progr. Sedin. 1836. Fragm. Lucil. lib. III. 33, et not. p. 23, *incita'* ex *incitas*, elisa *s* litera, ortum comprobat in hisce versibus Lucilianis: ap. Non. s. v. Incitas p. 123 (D. III. 30):

Illud ad incita' cum redit atque internecionem;

et ap. eund. ibid. (D. XVIII. 3):

Villicum Aristocratem mediastrinum atque bubulcum,
Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

Praeter Ciceronem, a Schneid. I. p. 349 laudatum, hac de re conferatur Quintil. I. 5. 15 „*duapondo*, *tre-pondo*," quae vocabula Spalding. ita explicat: „excidit et litera *s* et accusativus libras:" et Prisc. I. p. 557 P. p. 39 Kr. „*s* in metro apud vetustissimos vim suam frequenter amittit. — Virg. Aen. XII. 709

Inter se coiisse viros et decernere ferro."

lent crispari. cf. G. Schn. l. l. p. 365. a. Quid vero dixit *rectus*, non *recta*, si intellexit *stamina*, vel si notionem eorum, non appellato nomine, significare voluit? An *rectus* ad *panus* referendum est? Fateor, hanc interpretationem vel propter significationem vocabuli *panus* mihi displicere. Ut dicam, quod opinor: Lucilius de homine loquitur, quem non ex corporis specie, sed ex animi virtutibus pendi jubet: modo is *intus*, i. e. animo, recte habeat; quod *foris*, i. e. in externo hominis cultu, conspiciatur, tegumentum esse, rem neque ad laudem neque ad reprehensionem vere facientem. Atque hac ipsa ratione Lucilium de aequalibus suis censuram fecisse, testatur Horatius Sat. II. 1. v. 62 sqq.:

Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, *nitidus* qua quisque *per ora*
Cederet, *introrsum turpis*, cet.

Jam quum paginae his literis concessae paene completae sint, sedecim ejusdem libri fragmenta, quae in chartis mihi relinquuntur, alias curabo typis exscribenda.

Ludov. Ferd. Schmidt.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

I. Prima.

Ordinarius: der Director in Gemeinschaft des Professor Jaekel.

1. Sprachunterricht.

Latein. 9 Stunden w. Erklärung der Oden des *Horaz* (B. 1.) u. einiger Epoden abwechselnd mit der Lectüre des *Tacitus* (*Ann.* B. 2. *Germania* u. *Agricola*) 3 St.; Uebungen im mündlichen Uebersetzen, aus Zumpts Aufgaben, und in freien Aufsätzen, Controlle der Privatlectüre aus *Livius* (B. 22. u. 23.), 1 St. Dir. Bonnell. — Dr. Zumpt las im Sommer *Cicero Tusc.* B. I. u. V. und *Somnium Scipionis*, im Winter *Cicero p. Plancio* und *p. Balbo* in 3 St., und leitete die Stilübungen durch häusliche Aufsätze, Exercitien, Extemporalien und Disputationen in 2 St. — Zur Uebung im mündlichen Ausdruck bei Repetitionen aus der Alten Geschichte verwandte der Director alle 14 Tage eine seiner Lectionen.

Griechisch. 6 St. w. Prof. Salomon erklärte den *Protagoras* u. *Phaedon* des *Plato* in 3 St., las *Homer's Iliade* (B. VII—XI.) in 2 St., und stellte daneben alle 14 Tage einmal eine Repetition der Privatlectüre des *Herodot* an. Ausserdem leitete derselbe die schriftlichen Uebungen in 1 St.

Deutsch. 2 St. w. Prof. Jaekel trug im S. die Lyrik vor und liess eine Auswahl lyrischer Gedichte vorlesen und erklären. Im W. wurde theoretische Anleitung zur Bearbeitung von Abhandlungen gegeben, auch mustergültige Abhandlungen vorgelesen. Schriftliche Aufsätze wurden in beiden Semestern angefertigt.

Französisch. 2 St. w. Prof. Zimmermann liess in 1 St. Exercitien aus dem 3ten Cursus der Fränkelschen Anthologie anfertigen und Extemporalien schreiben; in der andern St. wurden Stücke aus dem 1sten Theil des *Tableau anthologique* von Mager und zuletzt Corneille's *Cid* gelesen.

Hebräisch. 2 St. w. Prof. Salomon stellte eine Wiederholung der ganzen Formenlehre an, fuhr in der Lectüre der Bücher *Samuelis* fort (lib. I. cap. 28 bis zu Ende, und lib. II. cap. 1—12.), erläuterte die *Psalmen* (Ps. 71—83.) und liess mitunter leichtere noch nicht gelesene Psalmen schriftlich ins Lateinische übertragen und grammatisch commentiren.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. vereinigt mit Ober-Secunda. Der Director nahm im

S. die Kirchengeschichte vom Anfange des 9ten Jahrh. bis zur neuesten Zeit durch, und behandelte im W. die Glaubenslehre nach dem protestantischen Lehrbegriff.

Mathematik. 4 St. w. Dr. Schellbach trug die Theorie der Gleichungen, die analytische Geometrie und die Stereometrie vor.

Geschichte. 2 St. w. Der Director behandelte das Mittelalter vom Anfange des 9ten Jahrh., und wiederholte alle 14 Tage aufgegebene Abschnitte aus der Alten Geschichte.

Physik. 2 St. w. Im S. trug Dr. Schellbach Optik vor, und im W. Magnetismus, Elektricität und Galvanismus.

Philosophische Propädeutik. 2 St. w. Grundzüge der Logik nach Trendelenburg's *Elementa logices Aristotelicae* beim Director.

Zeichnen. 1 ausserordentliche St. w. beim Lehrer Busch für die Primaner und Secundaner, welche daran Theil zu nehmen wünschten. Es wurde theils nach Gypsabgüssen gezeichnet, theils machten diejenigen, welche späterhin davon Gebrauch zu machen denken, Uebungen im Plan- und Situations-Zeichnen.

Im S. wurde in 2 St. w. den künftigen Juristen der stiftungsmässige Unterricht in der juristischen Propädeutik vom Hrn. Prof. Dr. Rudorff ertheilt.

II. Ober-Secunda.

Ordinarius: Professor Salomon.

1. Sprachunterricht.

Latein. 10 St. w. Prof. Salomon las im S. *Cicero de Amicitia* und *Or. in Cat.* I u. II.; im W. *Livius* B. XXIV. u. XXV. in 4 St.; erläuterte nach Zumpt's Grammatik die Lehre vom Imperativ, Infinitiv, Participium, Gerundium und Supinum, leitete die Exercitien und Extemporalien, und stellte alle 14 Tage einmal eine Repetition der Privatlectüre des Curtius an, in 4 St. Prof. Zimmermann las *Virgilii Aen.* B. IV u. V. in 2 St.

Griechisch. 6 St. w. Oberlehrer Gottschick erklärte in 2 St. Homer's *Odyssee* (lib. XIII—XVI.); in 2 St. von Jakob's *Attica* die Abschnitte aus Plutarch und Thucydides und Einiges aus Herodot; in 2 St. leitete er die grammatischen Uebungen, deren eine alle 14 Tage für die Privatlectüre des *Xenophon* (Anab. II. Cap. 6 bis IV. fin.) verwendet ward.

Ausserdem stellte der Director in einem Examinatorium (1 St. w.) theils Lateinische theils Griechische Uebungen an.

Deutsch. 2 St. w. Prof. Zimmermann leitete die Stilübungen durch schriftliche Aufsätze und geschichtliche Vorträge einzelner Schüler, nahm die Hauptmomente der Deutschen Literaturgeschichte mit besonderer Beziehung auf das Drama durch, und liess klassische Beispiele vorlesen.

Französisch. 2 St. w. Prof. Zimmermann liess in 1 St. Exercitien aus

dem 2ten Cursus der Fränkelschen Anthologie und Extemporalien anfertigen, in der 2ten wurden Stücke aus Mager's *tableau anthologique* Th. I gelesen.

Hebräisch. 2 St. w. Prof. Salomon liess das regelmässige Verbum wiederholen, übte halbjährig die unregelmässigen Verba und die Declinationeu mündlich und schriftlich ein, und las einzelne Stücke aus *Gesenius Lesebuch.*

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. S. Prima.

Mathematik. 4 St. w. Dr. Schellbach lehrte die ebene Trigonometrie und Stereometrie, und übte die Schüler im Auflösen verschiedener mathematischer Aufgaben.

Geschichte. 3 St. w. Prof. Zimmermann trug die römische Geschichte bis zum Untergange des weströmischen Reiches vor.

Physik. 1 St. w. Dr. Schellbach trug im S. die Elektricitätslehre vor und im W. die Elemente der Mechanik fester Körper.

Zeichnen. 1 St. w. S. Prima.

III. Unter-Secunda.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Jungk.

1. Sprachunterricht.

Latein. 10 St. w. Oberlehrer Dr. Jungk erklärte in 3 w. St. das 3te und 4te Buch des *Curtius*, und liess in 1 w. St. das 4te bis 7te Buch *Cäsars de B. G.* cursorisch lesen. In 2 St. trug derselbe die Lehre von den Modis nach Zumpts Gramm. vor, in steter Verbindung mit praktischen Uebungen; in 1 St. liess er Extemporalien schreiben und in 1 St. die häuslichen Exercitia durchnehmen. — Oberlehrer Schmidt las mehrere der schwierigeren Stücke aus der Anthologie v. O. Schulz; liess Einzelnes von dem Gelesenen auswendig lernen, und stellte mit den Schülern metrische Uebungen an. 2 St. w.

Griechisch. 6 St. w. Prof. Jaekel erklärte in 2 St. Xenophon's *Anabasis* B. II u. III, und in 2 St. Homer's *Odyssee* B. XI. XII.; 2 St. wurden auf Erlernung der unregelmässigen Verba, auf Exercitien und Extemp. verwendet. — Ausserdem stellte der Director in einem Examinatorium verschiedenartige Uebungen, meistens zur Einübung der Griechischen unregelmässigen Verba an. — Die vom Griechischen Dispensirten, in Verbindung mit denen aus Ober-Secunda und Ober-Tertia, beschäftigte Hr. Dr. Märcker mit Lectüre aus Ovid's Metamorphosen und mit Französischen Uebungen.

Deutsch. 2 St. w. Oberlehrer Dr. Jungk leitete die schriftlichen Uebungen und machte die Schüler mit den vorzüglichsten Producten der epischen Poesie bekannt.

Französisch. Im S. 3 St. im W. 2 St. w. Prof. Zimmermann liess in 1 St. Exercitien aus dem 1sten Cursus der Fränkelschen Anthologie und Extemporalien anfertigen, in den übrigen las er Stücke aus Mager's *tableau anthologique* Th. 2.

Hebräisch. 2 St. w. Prof. Jaekel nahm die Elemente der hebr. Grammatik nach Gesenius durch, übte die regelmässigen Verba mit Einschluss der Gutturalia ein und las aus Gesenius Hebr. Lesebuch die Stücke 1—4.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. Prof. Jaekel trug die christliche Sittenlehre vor und liess Lieder und Bibelsprüche auswendig lernen.

Mathematik. 4 St. w. Dr. Schellbach lehrte die Gleichungen des zweiten Grades, die Potenzenrechnung und die Logarithmen, die arithmetischen und geometrischen Progressionen und trug in der Geometrie die Lehre von der Aehnlichkeit und die Kreisrechnung vor.

Geschichte. 3 St. w. Oberlehrer Dr. Jungk trug die Geschichte der Asiatischen Völker des Alterthums, der Aegypter und der Griechen bis a. 146 vor.

Geographie. 1 St. w. Oberlehrer Dr. Jungk behandelte die mathematische Geogr. und erläuterte besonders das Copernicanische Sonnensystem.

Physik. 1 St. w. Dr. Schellbach lehrte die Elemente der Chemie.

Zeichnen. 1 St. w. S. Prima.

IV. Ober-Tertia.

Ordinarius: Professor Kanzler.

1. Sprachunterricht.

Latein. 10 St. w. Dr. Zumpt. Lectüre von *Caesar de bello Gall.* B. VI—VII. und *de bello civ.* B. I—II. in 3 St. und von ausgewählten Stücken aus *Ovid's Metamorphosen* nach Schulz' Anthologie p. 64—102 in 3 St.; das Wichtigste aus der Lehre von den Modis nach Zumpt's Grammatik 2 St. Einübung der grammatischen Regeln durch Exercitien und Extemporalien 2 St. Alle 14 Tage wurde ausserdem 1 St. auf Repetition der Privatlectüre (Bonnells Lesebuch und Cornel. Nepos) verwandt.

Griechisch. 6 St. w. In halbjährigem Cursus: Einübung der Regeln über die Abwandlung der *Verba muta, liquid.* u. der Conjugat. in *μι*, mit besonderer Berücksichtigung der Unregelmässigkeiten, mündlich und schriftlich, 3 St. — Extemporalien 1 St. — Uebersetzen aus Jakob's Lesebuch I. (Mythol., Länder- u. Völkerkunde) 2 St. Dr. Köpke.

Deutsch. 2 St. w. Prof. Kanzler. Es wurden leichte Aufsätze angefertigt und Uebungen im Erzählen und Vorlesen meistens von historischen, geographischen u. dgl. Schilderungen angestellt.

Französisch. 3 St. w. Oberlehrer Bauer. 1 St. war für das Uebersetzen aus dem Deutschen ins Franz. bestimmt, theils nach Herrmann's Grammatik, theils nach dem 3ten Cursus von Fränkel's Stufenleiter. 1 St. diente zur Lectüre aus Mager's *Tableau anthologique* Th. II. In der 3. wurden Extemporalien geschrieben.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. mit Unter-Tertia combinirt. Prof. Kanzler gab eine allgemeine Einleitung in die biblischen Bücher, erläuterte dann das 2te u. 3te Hauptstück aus Luthers Katechismus, und liess Bibelsprüche und geistliche Lieder auswendig lernen.

Mathematik. 4 St. w. Dr. Schellbach lehrte die Planimetrie mit Einschluss der einfachsten Sätze von der Aehnlichkeit der Dreiecke und schloss an die Buchstabenrechnung die Auflösung leichter Gleichungen mit einer und auch mehreren Unbekannten.

Geschichte. 2 St. w. Prof. Kanzler trug die allgemeine Geschichte vom Untergange des Weströmischen Reichs bis zur französischen Revolution vor.

Geographie. 2 St. w. Prof. Kanzler behandelte die Geographie von Asien, Afrika, Amerika und Australien.

Zeichnen. 1 St. w. mit Unter-Tertia vereinigt für die Schüler, welche sich darin weiter auszubilden wünschten, nach Gypsabgüssen und P. Schmidschen Körpern. Herr Busch.

V. Unter-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Bauer.

1. Sprachunterricht.

Latein. 10 St. w. 5 St. waren der Lectüre des Corn. Nep., und des Lesebuchs von Bonnell gewidmet; in 1 St. wurden Extemporalien dictirt, welche in einer andern durchgenommen wurden; die übrigen waren für die Grammatik bestimmt; auch wurden häusliche Exercitien dictirt und durchgenommen.

Griechisch. 6 St. w. Oberlehrer Bauer. 3 St. Uebersetzen aus Jacob's Lesebuche. 1 St. Grammatik. 2 St. für Extemporalien und deren Correctur. Das grammatische Pensum sind die *Verba* auf *ω*.

Deutsch. 3 St. Oberlehrer Bauer. 1 St. für die Aufsätze, 1 für verschiedenartige Uebungen, 1 St. für Declamations- und Leseübungen.

Französisch. 3 St. w. Oberlehrer Bauer. 1 St. Lectüre, theils aus Herrmann's Lesebuche, theils aus dem von Fränkel und Tollin herausgegebenen Album, theils aus Fränkel's *Cours de leçons*, 1 Cursus. 1 St. Extemporalien, 1 St. Grammatische Uebungen nach Herrmann.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. S. Ober-Tertia.

Mathematik und Rechnen. 4 St. w. Schulamts-Candidat Beeskow. Elemente der Formenlehre und Planimetrie bis zu den Parallellinien. 2 St. Rechnen: Im S. Decimalbrüche und Ausziehen der Quadrat- und Cubikwurzel; im W. Anfang der Buchstabenrechnung, Verhältnisse und Proportionen und Lösung leichter algebraischer Gleichungen. 2 St.

Geschichte. 2 St. w. Alte Geschichte, im S. die Geschichte des Orients und Griechenlands; im W. römische Geschichte.

Geographie. 2 St. w. Schulamts-Candidat Busse. Geographie von Europa, besonders in ethnographischer, statistischer u. politischer Beziehung, im S. Deutschland und die dazu gehörigen Länder; im W. die übrigen.

Zeichnen. 1 St. w. S. Ober-Tertia.

VI. Quarta.

Ordinarius: Oberlehrer Gottschick.

1. Sprachunterricht.

Latein. 9 St. w. Oberlehrer Gottschick las in dem Neuen Lat. Lesebuche von Bonnell die Abschnitte p. 95-141 und liess dieselben auch schriftlich übersetzen 4 St. — 3 St. waren für Extemporalien und Exercitien, 2 St. für Wiederholung der Declinationen und Conjugationen und für die Erlernung der *Verba inchoat.*, *Deponentia* und *Anomala*, sowie für die Einübung der *Conjugat. periphrast.* und der wichtigsten syntaktischen Regeln über die Casus bestimmt.

Griechisch. 4 St. w. Im S. Prof. Jaekel, im W. getheilt. Prof. Jaekel übte in dem einen Coetus, der Schulamts-Candidat Schaefer in dem andern die regelmässigen Declinationen und das uncontrahirte *Verbum purum* ein, liess Abschnitte aus Jacob's Lesebuche übersetzen und leichte Uebungen im Schreiben anstellen.

Deutsch. 3 St. w. Oberlehrer Gottschick. Alle 14 Tage wurde von den Schülern ein schriftlicher Aufsatz angefertigt und nach häuslicher Correctur vom Lehrer zurückgegeben. 1 St. war für mündliche Vorträge bestimmt, die dritte im S. für Anleitung zur Satzbildung, im W. für die Lehre von der Wortbildung.

Französisch. 3 St. w. Im S. Dr. Zumpt, im W. Prof. Zimmermann. Einübung der etymologischen Regeln, insbesondere der unregelmässigen Verba und deren Einübung nach Fränkel's Stufenleiter 2. Cursus, in mündlichen Uebertragungen, Exercitien und Extemporalien. Uebersetzen aus Liesen's Lesebuche.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. 2 St. w. Oberlehrer Gottschick vollendete die Geschichte der Apostel und gab dann eine Uebersicht des Lebens Jesu nach den Evangelien, indem er stets die darauf bezüglichen Stellen des N. T. vorlesen liess und erläuterte. Ausserdem wurden fast zu jeder Stunde Bibelverse oder Kirchenlieder auswendig gelernt.



5
um quae de libro nono supers
er Library 005935639
2044 085 209 229